



Dubl. zu Tbn 4040 Hdg

Sonst 00

O/P/MG

123.


C

c.67

Eundem, Cibitq; anniversario celebr-  
rime die, anno 1712, exponit  
sector Antorius Philosoph. T. VI. p. 972.  
ad p. 1031.

Referend prope luc Christianus Heyne  
Batum, collectorum Mathematicorum  
1695. Ed. S. Guld. et al. LXVII. à collectoriis  
q. J. Scipio Dider. n. Franciensem not. D.  
Hech. Erudit. 1695. p. 147.

Acad. Paris. 1693. p. 151.  
Acad. pertinet et figura, et loco illa  
Universitas de cœnade Europe  
in prosumat, & 1737.  
et. de hoc non est scripta. Non est scripta  
de hinc de Raphaele et de Cœnade  
Academie in eodem hat. eponymum  
magis vobis certe. Deinde se dicit  
17416. quod, et hanc hanc in folio fuit  
recte, et recte dicitur in folio.  
diffit de 100000. de  
crevans Moyne, S. T. de P. Lusignan.  
Batav. Histor. Polys. frontisp. Act  
N. Goffom in folio. B. Difely et P. Z.  
C. 4. S. 99. p. 403. fatis nomen et omnes  
deum in immobile performatum possum  
Mr. Tournefort, Melleline et Bon. il. fructu  
Academie et Acad. Romana et  
Amst. Professor et Botanique et  
Medicina v. v. Lettre a M. Begon  
contenant un abrégé de la Vie de  
M. de Tournefort et journal des  
Scavans d'Avril 1757. ex ea eo dir  
Nom Bibliot. S. 62. p. 305.



IRENÆI CARPENTERII  
ERUDITORVM  
**COELIBVM**  
SEMICENTVRIA NOVA

---

ACCEDIT  
DANIELIS HEINSII  
EPISTOLA  
AN ET QVALIS  
**VIRO LITERATO**  
DVCENDA SIT VXOR

---

VITTEMBERGAE SAXONVM  
APVD CHRIST. THEOPH. LUDOVICVM  
A. C. CI CIC CCXV

LEIZA  
MAGISTERIUM  
MUSICOLOGI  
AVOCATI

ALIAS TITULUS  
LIBERUS 2 LIBERUS

RE  
CIRCA 1700

1700



## PROOEMIVM

**Q**VINQUAGINTA denuo tibi,  
L. B., eruditorum, qui  
coelibem egerunt ui-  
tam, una cum Hein-  
sii suasoria, de literati coeliba-  
tu, offero, utque hoc institu-  
tum meliorem in partem inter-  
preteris, pro eo, ac par est, pe-  
to abs te atque contendeo. Di-  
cere uero posses, non omnes,  
quos in medium protuli, uiros  
coelibibus ascribi debere, saltem  
eos, qui uitam cum morte in o-  
ptimo aetatis flore, saepe et-  
iam uix impetrato munere,  
commutauerunt. Scias tamen,

A 2                    si ita

(o)

si ita sit colligendum, certe paucissimos iure coelibibus annumerari posse, cum satis superque constet, matrimonium senes quoque haud raro contraxisse. Sic Henr. Valesius (*a*), annum aetatis LIX, et Ioannes Auentinus (*b*), LXVI, egressi, Ioannes item Menardus (*c*), admodum senex, uxores duxerunt.

(*a*) Vid. Henningii VVittenii Diar. Biograph. t. I, ad A. 1676.

(*b*) Vid. Melch. Adamius, Vitt. Philosophorum p. 77, ed. Francof. 1663, in 8, P. Freherus, Theatri Virorum erudit. Clar. p. 1443, A. Clarimundus, Vitrum Clariss. in re literaria Virorum p. VI, p. 196, M. Godofr. Boettnerus, Disput. I, de Malis Eruditorum Vxoribus, §. 15.

(*c*) *Duxit uxorem*, inquit P. Iouius, Elogg. Virorum Doct. p. 152, edit. Basil. 1577, in f., *plane senex, et articulorum dolore distortus, ab aetate formaque florentis iuvenis toro dignam, adeo leui iudicio, et letali quidem intemperantia, ut maturando funeri suo aliquanto prolis, quam uitae, cupidior ab amicis censeretur.*

runt. Ioannes Auratus (a), poeta, seniles amores, quibus septuagenario maior fuit irretitus, licentiae poeticæ titulo excusare non dubitauit. Sufficit itaque, coelibes eos defunctos, si uel maxime sit incertum, an, si diutius ipsis uiuere licuisset, ad nuptias animum fuerint applicaturi. Neque raro complures hodie, quando praeficiuntur muneri, mature satis produnt, coelibes se non esse permanuros, propterea, quod Martham ferre prius ambiant, quam Spartam, uel, si oblatam recusent, etiam si talem forte, qualis olim erat solibus perusta Sabina, sparta non temere potiantur. Non solos uero literati ordinis principes, seu mauis, Rolandos, hic

A<sub>3</sub> recen-

(a) Conf. M. Christ. Altmanni Disp., de Senio Eruditorum, Lipsiae, 1711, habita, p. 29.

recensere, sed alios quoque, minorum quasi gentium deos, ad iucere mihi libuit, quoniam sapere etiam illi, quorum nominibus ne M quidem, aut L, praefixum, maiore possunt esse prae-diti eruditione, plusue interdum commodi afferre publicae rei, quantumuis non omnes scriptorum copia rumpant tabernas, nec ab omnibus cum pompa ebuccinentur, ex quibus non pauci uerticem quoque Parnassi conscenderent, nisi mors eos ipsa mature nimis ueluti supplantaret. Multi enim, quo doctiores uideantur, alios pro nihilo ducunt, scriptaque ipsorum aspere perstringunt, plerunque semper ne ipsi quidem satis docti. Superuacaneum praeterea duxi, totam cuiusque uitam adiucere, eaque de causa tantum

tantum apposui, quantum ad  
 instituti rationem pertinere ui-  
 lebatur, optaremque, me cau-  
 fas nunquam non addere potu-  
 isse, quam ob rem a foedere  
 matrimonii hic uel ille abhor-  
 ruerit, quas tamen ipsas, cum  
 uitarum scriptores interdum hic  
 taceant, fingere mihi religio fu-  
 it. Libens quoque concedo,  
 nihil, aut parum, ad haec talia  
 scripta conficienda, requiri artis,  
 nec, libellis eiusmodi edendis,  
 multum famae comparari, sed,  
 cum haec iam olim, solius pro-  
 pe animi gratia, congerere coe-  
 perim, nihil admodum causae est,  
 cur ab hoc me proposito patiar  
 deterreri. Parum quidem abfuis-  
 set, quin fumus quidam, ex nescio  
 cuius culina, nidore suo perstrin-  
 xisset nares, quos tamen, fa-  
 bile subodorari postea coepi, ni-

hilo plus afferre mihi posse periculi, quam fulgur ex pelui, aut Panicos terrores. Scribit enim misericors iste censor, Multa de coelibibus meis commoneri posse, me uero iam habere iudicem, neque addendam afflito esse afflictionem, qua miserandi tamen formula de ipso potius, quam de me, liceret uti, cum bonus iste uir sale haud paullo acriore sit perficatus ab his ipsis(•), quos ille mihi hostes tam infenos pingere frustra laborat. Tantum enim abest, ut, me a clarissimis Bibliothecae conditoribus laesum esse, putem, ut potius, solennibus suis salibus aliquid eos largiri uoluisse, credam. Neque enim is ego sum, qui statim indigner, si quid in meis qualibuscunque commentationibus occurrat,

(4) Vid. Neue Bibliothek, P. xxvi, p. 606.

quad recte monendi causam uel  
 minimam praebuisse uideatur.  
 Ego uero, potiori forsan iure,  
 eorum in numerum retulerim  
*Coquos* illos, qui, omnis alio-  
 rum iudicij impatientes, ridendo  
 uerum dicentes ad *calones* ab-  
 legare malunt, quam agnosce-  
 re uulnera sua et sanare. Litem  
 hanc interim pro suspensa tan-  
 tisper habebo, dum ostendatur  
 mihi, quae tandem sint enor-  
 mia ista peccatorum genera,  
 quorum ille me uoluit insimu-  
 lare, promptusque ero et pa-  
 ratus ad respondendum, resalu-  
 tatus quidem tam bona fide,  
 quam fuero salutatus. Sed fortasse  
 me socium iste periculi sui uoluit  
 habere, ad curam ordinandae bi-  
 bliothecae suae relegandus, quo-  
 ad parturiat aliquid montibus su-  
 is dignum, atque a muribus Ho-

A s ra-

ratiānis abhorrens. Illud quidem  
peruelim scire, quo iure, quaue  
iniuria, defensoribus coniugii  
Pontificiis subiunxerit idem ille  
coelibum decadem, quam tamen  
ipsam non aliunde, quam ex  
Observationum suarum colluuie  
(a), ubi parem is confecit nu-  
merum, non sine nausea qua-  
dam, recoxit, homines praefer-  
tim, plerosque omnes, a *cleri-  
catu* ipsius immane quantum a-  
lienos. Praestitisset igitur haud  
dubie, si theologos potius, a ca-  
stris Pontificiis alienos, in aciem  
producere maluisset, ostenden-  
do, extra Pontificias cohortes  
quoque reperiri *clericos*, quos  
sua sponte, non coactos, coeli-  
batum, nec paullo, quam apud  
Pon-

(a) Iudicium de his Observationibus, et  
in primis P. XIIIX, uid. in den Aufrich-  
tigen und unpartheyischen Gedan-  
cken, über die Journale, Extracte und  
Monats-Schriften, P. IV, p. 329, sqq.

(o)

Pontificios, sanctiorem, coluisse, dici queat. Sancte alioqui confirmare possum, me decadem ipsius coelibum non solum in aduersariis meis habuisse, uestrum decade haud una, si libeat, in posterum quoque posse, negotio haud difficili, adaugere.  
Te autem, B. L., maiorem in modum rogo, ut, si quid humanitus forsitan sim passus, pro tuo, quem speramus, in literas pariter, ac literatos, amore, uel emendare (e), uel supplere, ne graueris. A. c i o i o c c x i i i i ,  
ix Cal. Quintiles.

### CON-

(e) Hanc in sententiam, Cent. Coelibum singul. pag. 38, expungere tibi licebit Michaelm Neandrum, quem, accuratius inquirendo, deprehendi, coelibem non fuisse, id quod tu sis sciens. Deleatur item paginae sequentis uox prima, Auguſtus.

CONSPECTVS  
ERVDITORVM COELIBVM  
HAC SEMICENTVRIA  
COMPREHENSORVM

L. Allatius	Paphnutius
P. Baylius	I. Passeratus
I. V. Bechmannus	F. Petrarcha
M. A. Bonarotus	C. Pfafradius
M. Braschius	I. Picus
V. Camdenus	Plato
L. Curtius	C. A. Pompeius
N. Faber	B. Pozernius
E. Grindalus	Priscillianus
N. Heinsius	S. A. Propertius
Hieronymus	P. Ramus
I. H. Knoblauchius	I. Rhenferdus
C. I. Langius	P. Schadius
C. E. Lehmannus	M. Schneiderus
D. Lipstorpius	C. Schroeerus
I. Lyserus	H. Siuerus
R. Maffeus	I. Sylvius
E. Marbachius	Thales
R. Maresius	G. G. Titius
I. B. Morinus	G. H. VVelschius
A. Morus	H. VVittekindus
P. Mullerus	H. VVolfius
G. Naudaeus	I. VVouuerus
I. Oefelius	Xenocrates
Origenes	Zeno
M. G. Ziegra.	

ERVDITORVM  
COELIBVM  
SEMICENTVRIA NOVA

---

LEO ALLATIVS,

Chius, Graecus, Venetiis ad Pontificorum transiit castra, atque a Pontifice Romano, Urbano II<sup>X</sup>, Bibliothcae Vaticanae praefectus fuit, multis uariisque clarus scriptis, † A. CIC<sup>15</sup> CLXIX, octogenario major. (a)

PETRVS BAYLIVS,

Gallus, Carlati, A. CIC<sup>15</sup> CXLI<sup>IX</sup>, natus, A. CIC<sup>15</sup> CLXXV, Sedanum Philosophiae Professor uocabatur, Academia uero Sedanensi ab rege Galliarum deuastata, A. CIC<sup>15</sup> CXXCI, Philosophiae et Historiarum Professor Roterodami constituebatur. Anno CIC<sup>15</sup> CXXC<sup>III</sup>, ad prouinciam docendae Philosophiae, a Franequeranis inuitabatur, quam tamen recusabat.

B

A. CIC

(a) *Vid. H. Ghilinus, in Theatro Ital., vol. 2, pag. 173, P. Baylii et Moreri Dictionar. Mabillonii Museum Italicum, Clarmundus, d. l., P. VI, p. 74, sqq., Neue Bibliothec, P. XIII, p. 229, sqq.*

A. C. 1610 C. XCIII, apud ministros  
Britanniae regis a Iurieo, Professore  
ibidem Theologo, cum quo multae  
ipsi erant controuersiae, incusabatur,  
ac si pacem, Gallos inter et Britonas,  
scripto quodam conciliare uoluisset,  
hanc ipsam ob causam munus suum  
relinquere coactus. † ibidem, A. C.  
1620 CC VI, aet. LIX. (a)

IOANNES VOLCMARVS  
BECHMANNVS,

Fidelhusae, in Turingia, A. C. 1610 C.  
XXIIII, ex patre M. Ioanne Friderico,  
P. L. C. et ibidem sacerdote, pro-  
creatus, iactis, in Schola Vinariensi  
et Gothana, fundamentis, adiit Le-  
nam, ubi animum ad studium Iuris  
applicuit, A. C. 1610 C. XLIX insigni-  
bus Doctoris ibidem auctus, A. C.  
1620 CLIX Professor iuris extraord.,  
posteaque ordinarius, in eadem Aca-  
demia,

(a) *Vid. Baylii Observat. Miscellaneae, occasione  
Cometae, qui A. 1680 apparuit, Anglice,  
1708, in 8, denuo editae, quibus adiecta Bay-  
lii Vita. Conf. Acta Erudit. Lips. A. 1701, p.  
103, sqq., Neue Bibliothec, P. XI, p. 78, sqq.  
Noua Literaria Hamburgensia, A. 1707, p.  
372, sqq.*

demia, constitutus, quem Leopoldus  
quoque, Imperator, Comitis Palatini  
honoribus ornauit. † Ienae, A. C<sup>15</sup>  
L<sup>c</sup>XXCIX, aet. LXV. (a)

MICHAEL ANGELVS  
BONAROTVS,

Italus, in pago Casealino, ditionis A-  
retinae, A. C<sup>15</sup> CCC LXXIIII, patre  
lanificii sericique elaboratione se et  
liberos, quorum bene multos habe-  
bat, sustentante, natus, philosophus,  
poeta, pictor, architectus, sculptor,  
statuarius, insignis, † A. C<sup>15</sup>  
LXIIII, aet. XC (b). Quidam de eo sic  
cecinit,

*Quis pinxit melius, quis struxit, duxit in  
aere,*

*Marmor quis sculpsit, doctius aut ceci-  
nit?*

MARTINVS BRASCHIVS,  
Grubenhagii, ducatus Meclenburg.  
B 2 oppi-

(a) *Vid. M. Ioannis Casp. Zeumeri Vitae Prof.  
Ienens. p. 174, sqq.*

(b) *Vid. Georgius Vasarius, Aretinus, de  
Pictoribus, Anonymi Noritie Letterarie ad  
Istoriche intorno a gli Homini illustri del  
Academia Fiorentina, P. I, in Fiorenza.*

oppido, natus, in Academia Rostochiensi Logices Professor, orator, philosophus, poeta, paeclarus, † A. 1510 c. 1, aet. XXXVI. (a)

VILELMVS CAMDENVS,  
Londinensis, initio scholae VVestmonasteriensis hypodidascalus et Gymnasiarcha, deinde in Fecialium collegium ascitus et Clarentius factus, tandem Oxoniae in collegio Chelisciano Historiarum Professor, † A. 1510 c. XXIII, aet. LXXIII. (b) Thomas Smithus de eo sic scribit (c). *Vt a literis neutiquam auocaretur, Ortelii, Scaligeri, aliorumque, quorum fama melius scriptis, ex foecundissimo cerebro prognatis, quam longa nepotum serie, in omne acnum propagabitur, exempla aemulatus, opulentis matrimonii, quae multa studiorum impedimenta allatura praeuidisset,*

*vitam*

A. 1700, in 4, p. 87, sq., Freherus, d. l.,  
p. 1460, Monatliche Auszuge, A. 1702, M.  
Iunii, p. 46, sq., Vincentii Paravicini Sin-  
gularia, de Viris eruditione claris, p. 146.

(a) Vid Henn. VVittenii Vit. Philosoph. Dec.  
I, p. 1, sqq.

(b) Idem, Diar. Biograph. P. I.

(c) In Vita Camdeni,

*uitam praetulit coelibem, sancti propositione  
usque et usque retinentissimus.*

**LANCINVS CVRTIVS,**

Mediolani natus, Graecae Latinaeque linguae peritissimus, poeta item non vulgaris, *contentus paruo* (a), *se-  
bique soli*, uti saepe dicebat, *et ingenio suo  
uiuens, et coelebs, et liber, sine labe nomi-  
nis, ad senectudem peruenit, nihil obiter  
immutato netere cultu, cum ceteri ciues,  
non obscura confessione seruitutis, aduen-  
tu Gallorum, peregrinam induiti uestem,  
et capillum ad aurem subtondentes, eum,  
pristino more togatum, prolixaque coma-  
tum, petulanter irriderent.*

**NICOLAVS FABER,**

Gallus, fortuito casu, in pueritia, oculo orbatus, Tolosae, Patauii, Bononiae, iuri ciuili operam dedit, Romaeque per IIX menses commoratus, annos natus XIIIX, cum se in patriam et domum maternam recepisset, totum se pietatis ac Philosophiae studiis dedit, quibus ut liberius et expeditiore animo uacaret, coelibem uitam agere instituit, et amico cuidam, ad nobilis puellae nuptias

B 3

ambi-

(2) *Vid. Ionius, d. l., p. 116.*

ambientes aliquando incitanti, respondit, Vellem, apud me aequa firma ac rata sunt omnia, ac meum illud animi propositum et uotum, quo semel statui, me nunquam uxorem duceturum. Indeque sibi summam illam et inoffensam, tota uita sua, mentis tranquillitatem comparauit, dum, uix adulta aetate, quo se animus dirigat, instituit, nec bacerens et anxius, quid agat, certum sibi iter, quod metiatur, et metam, que conquiescat, proponit (a). A. c. c. c. xxci, cum, per aliquot annos, in foro uer-satus esset, ut matri gereret morem, in numerum consiliariorum, qui rebus ad aquas et sylvas spectantibus, in Gallia, praesunt, receptus est, postea uero sua se sponte abdicavit hoc munere. A. c. c. c. xcvi, ut Henr. Borbonium, principem Condaeum, in capitibus pietatis, morum ac doctrinae, institueret, a Galliarum rege legitimus, tandemque, aulae pertensus, uix a rege, sed aegerrime a principe, dimissus est, denuo tamen, Henrico

(a) Frider. Balbus, in Vita Fabri, quae in Vitis Select. quorund. eruditiss. ac illustr. uiorium, Vratisl., 1711, in 8, editis, p. 81, exist.

rico Magno interfecto , matrique Au-  
gustae Ludouici XIII, regis impube-  
ris, tutela et regni procuratione tra-  
dita, idem sibi munus imponi, passus,  
eoque per sexdecim tantum functus  
menses, † A. c. 1512, aetatis **LXIIIX**,  
prid. Non. Nouembres.

**EDMVNDVS GRINDALVS,**  
A. c. 1519, in Cumbria, parte An-  
gliae, qua septentriones spectat, natus,  
A. c. 1519 Antistes Londinensis , A.  
c. 1577 Eboracensis, et, A. c. 1576,  
Archiepiscopus Cantuariensis, consti-  
tus, ab regina Elisabetha, ob uaticinan-  
di, ut vocabantur, exercitia, ad seme-  
stre tempus ab officio suspensus fuit,  
sed A. c. 1582 criminis absolu-  
lutos, quanquam, ob amissum uisum,  
munere haud poterat amplius fun-  
gi. Hinc tandem, cum uideret, id,  
quod antea obtinere non poterat,  
ab regina sibi esse concessum, A. c. 1583  
xxix, II. Cal. Apriles, a munere se  
decreuit abdicare, impeditus tamen  
rebus uariis, † A. eodem, prid. Non.  
Quint., aet. quartum et sexagesimum  
agens. (4) B 4 NI-

(a) *Vid. The History of the Life and Acts of*

NICOLAVS HEINSIVS,  
 Lugduno Batavus, Danielis filius, Foe-  
 deratorum Belgii Ordinum, ad aulam  
 Gothorum regis, legatus perpetuus,  
 poetarum tuerum et imitator, et so-  
 spitator, insignis, Hagae Com. † A.  
 CCCCLXXXI, aet. LXI. (a)

HIERONYMVS,  
 Dalmata, in urbe Stridonensi, circa A.  
 CCCXXIX, natus, ab A. CCCLXXIX  
 inclarescere coepit, quo anno ad Pre-  
 sbyteri munus a Paulino Antiocheno  
 est admotus, eremi Bethlemitici factus  
 incola A. CCCLXXXIII, † Bethlehemi,  
 A. CCCCXX, aet. XCI. In hoc reprehendens (b), quod, dum virginitatem im-  
 modie prorsus laudibus efferat, de nuptiis  
 minus honeste ac ueracunde sentire videa-  
 tur. Certe digamos tanquam scortis solum-  
 modo meliores facit, cum immundis arcae  
 Noae animalibus et serpentibus confert,  
 mulieremque secundas nuptias repetentem,  
 cani ad uoritum, siue lotae ad uoluta-  
 brum

*Edwina Grindal, etc. Londini, A. 1710, in  
 f., editore Ioanne Strype. Conf. Acta Eru-  
 dit. Lips., Suppl. V, sect. 7, p. 294, sqq.*  
 (a) *VVittenius, d. l.*

(b) *Vid. Ganeus, in Histor. Liter. Script. Eccles.*

*Brum reuertenti, comparare non erubescit.*

IOANNES HENRICVS

KNOBLACHIVS,

Vittemberga Saxo, ex Academia patria, in qua Sapientissimi Ordinis per id tempus erat Assessor, A.  $\approx$  1599 ad munus Rectoris, in Gustrouiensi Pomeranorum Gymnasio, obeundum, uocatus, ei muneri uix per annum potuit praesesse,  $\dagger$  quippe mox in sequente anno, aetatis XXVI, uita dignus longiore. (a)

CHRISTIANVS IOANNES

LANGIVS,

Pegauia Misnicus, A.  $\approx$  1555, pater Samuele, S. Theol. Doctore, et tum Ephoro ibidem, postea uero S. Theol. apud Lipsiensis Professore et Antistite, natus, Lipsiae, A.  $\approx$  1576, Philosophiae Baccalaureus, A.  $\approx$  1593 Magister et Medic. Baccal.,  $\approx$  1599, habita disputatione, de *Cephalalgia*, Medicinae Doctor creatus, A. autem  $\approx$  1599 inter Medici Ordinis Assessores receptus. Cor-

B 5 pulen-

(a) Cl. G. Ludowici, *Hist. Rectorum, Gymnas.*  
*Scholarumque celebr.*, P. III, P. 419.

pulentus (a) maxime fuit, et uxorem nū  
quam duxit, artis vero diuinæ theoriam  
profundiorem cum praxi Medica, quod  
paucissimi aut uolunt, aut possunt, con-  
iunxit felicissime, tempusque omne uisi-  
tandis aegris et insruendis discipulis de-  
dit, quorum in numero, cum moreretur,  
plures, quam CXX, Medicinae Doctores  
fuerunt. Quos alii sumptus faciunt in  
sustentatione rei familiaris, hos potius  
ad libros hinc inde coemendos destinauit.  
— Sic uitam omnem transegit, aliis in-  
seruendo magis, quam indulgendo sibi,  
donec, A. 1710 CC 1, post breuem morbum,  
† aet. anno XLVI. Scripta eius, cu-  
rante celeberr. D. Augusto Quirino  
Riuino, Lipsiae, A. 1710 CC 1111, in  
f., lucem aspexerunt.

### CHRISTIANVS EHRENFRIDVS LEHMANNVS,

Annaeberga Misnicus, patre D. Chri-  
stiano, Antistite h. t. apud Freiber-  
genses, in Hermunduris, et meritis,  
et an-

(a) Vid. Nova Liter. Hamburg., A. 1704, p.  
176, sqq. Haec ipsa forsan causa fuit,  
cur abstinuerit ab uxore. Conf. Historische  
Remarques A. 1701, p. 199.

et annis, uenerando, natus, Lugdu-  
ni Batauorum, A. CIC 10 CC X, prid.  
Cal. Maias, habita de *Aνορεξίᾳ*, disputati-  
one, amplissimis Laureae Medicæ ho-  
noribus auctus, anno inseguente, ab  
Senatu sanctiore, qui Dresenæ est,  
Saxonicarum, in Belgio Foederato  
stipendia tum merentium, copiarum  
Medicus princeps electus, † Duaci, A.  
CIC 10 CC XII, III idus Quintiles, anno  
aetatis fere XXX, quem sibi annum,  
iam olim praedixerat, fatalem fore.

(a)

DANIEL LIPSTORPIVS,  
Lubecensis, I. V. D., aulae primum  
Viniariensis Mathematicus, et Ducum  
Saxoniae studiis praefectus in Aca-  
demia Ienensi, Iuris deinde Profes-  
sor Upsaliensis, postea Hagae Comi-  
tum Curiae Hollandicae Aduocatus,  
tandem, in patriam redux, † A. CIC 10 C  
XXCIII, ipsis Cal. Septembr., aet.  
LIII. (b)

IOAN-

(a) *Vid. eius Funebria, in quibus et uita  
Lebmanni, a Cl. M. Theoph. Grabenero,  
Gymn. Freiberg. Coll. III, diserte conscripta,  
reperitur.*

(b) *Vid. VVittenius, d. L.*

IOANNES LYSERVS,

## RAPHAEL MAFFEVS.

Volaterris, Etruriae urbe, ad Caecinam, fluuium, sita, ab qua et cognomen est adeptus, nobili gente ortus, vir fuit (b) habitus corporis uenusto, facundia elegante, et morum granitate uitaque sanctimonia clarus, infinitae (c) prope lectionis, quippe qui disciplinas o-

(a) d. I. Conf. Summe Ven. D. Georgii Henr. Goezii Dissert. Historico-Theol., Fata Triplia, quae Theologorum clariss. filii subie- runt, complectens, Lubecae, A. 1706, tab., p. 19, Eiusd. Sendschreiben von den hin und her zerstreuten Dresdnern, p. 133, sq.

(b) *Vid. Boissardi Icones.*

(c) *Vid. Iouius d. l. Conf. Clarmundus*, d.l., p. II, p. 55, sqq., *Vossius, de H. L.*, p. 672, sqq., *Freherus*, d.l., p. 1438.

mnes in aceruum coniecerit, utili potius  
in aliena desidia, quam ad explicatae do-  
ctrinae decus nobilit, opere. Non multo  
enim cum sale, et sine ornamento Latinæ  
orationis, cuncta, stricto ordine, ita di-  
gessit, ut alibi quaerenda legentibus uin-  
dicare uidentur. † Volaterris, A. CIC  
XXI, aet. LXXI.

ERASMVS MARBACHIVS,  
S. Theol. D., eiusque deinceps, ab ob-  
itu patris, D. Ioannis Marbachii, Ar-  
gentorati Professor, † A. C. CIC  
XCIII. (a)

ROLANDVS MARESIVS,  
Parisiis natus, initio quidem in foro  
patrio uersabatur, sed, huius uiuendi  
rationis pertaesus, uiuere sibi, tem-  
pusque amoenioribus literis impen-  
dere, malebat, † sexagenario propior,  
A. CIC XC LIII. Coelibem (b) uitam

ample-

(a) Vid. Celeb. D. Io. Fechtii Supplœ. H. E.  
Sec. XVI, Exercitatio Historico Moralis Cl.  
Ludouici, de Filiis, Generis atque Discipu-  
lis, qui patribus, ficeris ac praeceptorib-  
us, in munere successerunt, p. 16.

(b.) P. Hallæus, in Elogio Marefi, Epi-  
stolis eius praefixa. Conf. Clarmundus, d.  
l. 3 P. IV, p. 150, sqq.

amplexus est, et cum suis commode uixit,  
ac per otium Mariam Pruteniam, sororis  
filiam, quae in tenera aetate domestici  
uim ingenii et acumen haud obscure expri-  
mebat, Latinis Graecisque literis, non in-  
felici successu, informauit.

IOANNES BAPTISTA  
MORINV,

Gallus, natus est A. C. 1515 LXXXIII,  
A. C. 1515 CXXXV Regius Professor Pa-  
risiensis constitutus. Ipsi persuadere  
quidam cupiens, ut sui in munere ante-  
cessoris uxorem, diuitiis abundan-  
tem, in matrimonium duceret, initio  
quidem propositum hoc recusauit, di-  
cens, astra eum coelibem malle, paulo  
tamen post, mente mutata, dicto  
audiens suadenti fuit. At, cum in  
eo esset, ut uiduam hanc, conueni-  
endi gratia, accedere, cum eaque de-  
ineundo matrimonio uerba facere,  
uellet, ex uicinia ipsi allatus est nun-  
tius, eam esse defunctam. Spe ita-  
que deceptus, animo secum firmiter  
constituit, per totum reliquæ uitæ  
spatium in coelibatu permanere, id  
quod

quod et re ipsa praefitit, † A. C. D. C.  
LVI. (A.)

## ALEXANDER MORVS,

Aquitanus, cum uicesimum aetatis annum attigisset, Geneuam, uti studia sacra continuaret, mittebatur. Ibi Graecarum literarum prouincia erat uacuefacta, eaque, in programmate quodam, ab Academiae curatoribus, ei, qui mereretur optime, promittebatur. Quanquam uero complures eruditi, qui longe Morum aetate superabant, hoc ambibant munus, palmam tamen Morus omnibus praeripiebat. Triennio praeterlapso, in locum Spanhemii, Profess. Theologi, surrogabatur. Salmasius uero deinceps efficiebat, ut Middelburgum, ad Theol. professionem et munus sacerdotii, uocaretur. Eodem tempore, ut Vossio, Historiarum doctori, succederet, eligebatur, quod tum quidem recusabat, post triennium tamen, licet ipsi etiam in Gallia prouincia quaedam Theol. offerretur,

in

(a) Vid. Lex. Universale Germa. P. II.

in se suscipiebat, † tandem Parisiis, A.  
cccc CLXX. (a)

**PHILIPPVS MULLERVS,**  
 Sangerhusa Turingus, iactis in pa-  
 tria et illustri Schola Portensi funda-  
 mentis, A. cccccc CLVII, Salanam ad-  
 iit Academiam, ibique et Magisterii,  
 et Ordinis Sapientum Ascripti, hono-  
 ribus est ornatus. Per tres menses  
 sacerdotis munere Illebiae perfunctus,  
 Ienae tum eloquentiae, tum poeseo,  
 Professor est constitutus, posteaque,  
 in coenobio Magdeb. Praepositi, Prae-  
 lati, et, in Acad. Salana, Professoris The-  
 olog. extraordin., simul praefuit spar-  
 tae. A. cccccc LX XII insignibus pri-  
 uilegiisque Doctoris Theologi auctus,  
 A. cccccc CCII ad Prof. Theologiae Or-  
 dinarii munus est vocatus. Fuit item  
 Ducum Saxoniae Consiliarius in sacris  
 primarius, totiusque Academiae Ie-  
 nensis Senior. † A. cccccc CC XIII. (b)

**GABRIEL NAVDAEVS,**  
 Parisiensis, Doctor Medicus et Poly-  
 histor, primum Henrici Memmii, se-  
 natus Parisiensis infulati, deinde Io-  
 annis  
 (a) *Vid. ibid.*

(b) *Zeumerus d. l., p. 245, sqq.*

annis Francisci a Balneo , Antonini Barbarini , Iulii Mazarini , purpuratorum , et Christinae Gothorum reginae , a cura Bibliothecae , † redux e Suecia , Abbatissuillae apud Morinos , A. c. 1633 , aet. LIII. (a)

### JACOBVS OESELIVS,

Belga , I. N. et G. P. P. in Academia Groeningensi , † A. c. 1610 c. LXXXVI . Fuit uir praediues , et bibliothecam habuit locupletissimam , numero mil- lium plus , quam duodecim , librorum , cuius index publice diuulgatus est in  
22 mai. (b)

### ORIGENES,

Alexandriae , A. c. c. LXXXVI , na-  
tus , ibique Presbyter et Scholae Ca-  
techeticae Magister , claruit A. cc xxx ,  
a Demetrio , A. cc xxxiii , Alexandria  
pulsus † Tyri , A. cc lIV , aet. LXIX .  
Se castrauit ipse , uerbis Christi , Matth.

### C XIX,

(a) *Vid. de Vita Naudaei P. Hallaeus , in Elogio Naudaei , epistolis eius praefixa . More- rius , Diction. T. III , p. ii , sqq. , Clarmundus d. l. , p. 155 , sqq. , P. IV , VVittenius , d. l. , Cl. I. H. non Seelen Oratio , de Praecocibus Eru- ditis , p. 88 , sqq.*

(b) *VVittenius , d. l.*

XIX, 12, ut quidam credunt, male intellectis. Alii vero, ipsum hoc ea de causa fecisse, scribunt, ne molestam experiretur Venerem, et, quo minus sua cum feminis ac uirginibus, quibus literas diuinias perinde, ac maritis ipsarum, instillabat, conuersatio suspecta foret. (a)

### PAPHNVTIVS,

in urbe quadam superioris Thebaidos, in Aegypto, praesul, teste Socrate, Scholaftico (b), ab ineunte aetate in asceterio educatus, et propter castitatem, si quisquam alias, per celebris erat. In Synodo Nicaena, cum res in eo esset, ut clericorum coelibatus in DEI coetu introduceretur, et singulorum rogarentur sententiae, surgens in medio praesulum Paphnutius, coelebs, exclamauit. (c) *Non esse imponendum*

(a) *Caveus, d. l.*

(b) *H.E. I, 23.*

(c) *Vid. Venerabilis Abbas Mariaeuallensis, D. Ioannes Andreas Schmidius, in epistola gratulatoria nupt. ad Vener. Phil. Ludoniu-  
cum Boehmerum, Antisitem apud Goettin-  
genses primarium, in qua egit de Paphnu-  
tio, episcopo coelibe, coniugii clericorum*

*gr. Observations  
M. C. G. A. 2. 4.  
p. 23. 14.*

dum clericis et sacerdotibus graue hoc iugum, honorabiles nuptias et torum immaculatum esse, dicens, ne, ex nimia superbia, damnum potius inferrent ecclesiae. Neque enim omnes ferre posse tam districtae continentiae disciplinam, ac forsitan inde carentium esse, ut cuiusque uxoris castitas minime custodiretur. Castitatem autem vocabat congressum viri cum uxore legitima. Satis esse, ut, qui in clerum fuissent ascripti, iuxta veterem ecclesiae traditionem iam non amplius uxores ducerent, nontamen quendam sciungendum esse ab ea, quam antebac, tunc, cum esset laicus, legitime duxisset. Quo facto effecit, ut uniuscuiusque arbitrio relinqueretur, uellet ne matrimonium contrahere, nec ne.

IOANNES PASSERATIVS,  
Gallus, apud Trecassum, Campaniae  
urbem, quae flumine Sequana inter-

C 2 luitur,

patrono et uindice, Helmstadii, A. 1703, in  
q, ubi haec uerba ex Sozomeno profert.  
Conf. Gelasius Cyricenus, in Actibus Nicae-  
nae Synodi, quos, ex Vaticana Biblioth.  
Latine conuersos, hodie habemus, a Rober-  
to Balfureo, Scoto, Suidas, in uoce ΠαΦι-  
λου, aliique plures.

Iuitur, natus, Latinae linguae primum, P. Ramo deinde imperfecto, eloquentiae, in Academia Parisiensi, Professor, † Lutetiae Paris., ex paralyse, A. ☌ 1515 c 11, XIX Cal. Octobres, aet. LXIIX, cum ad integrum paene quinquennium lecto misere affixus iacuisse. (a)

CASPAR PFAFRADIVS,  
in ducatu Bergensi, cis Rhenum,  
in agro, prope Lunepum, Vestphaliae oppidum, ortus. In adolescencia ad mercaturam (b) animum adiecit, eamque ob causam Lipsiae, aliquisque in locis, uixit, sed, uno alteroue anno praeterlapso, suauuhortatuque amicorum literis operam dare coepit, in quibus tantas fecit progressiones, ut, A. ☌ 1590 III, in Academia Iulia, Theol. Professor

extra-

(a) *Io. Papir. Massonius, Elegg. P. II, p. 347, sqq., Sammarthanus, d. l., p. 108, sqq., P. Lotichius, Biblioth. Poet. P. IV, p. 69, VVittenius, Memor. Philosoph. Dec. I, p. 18, Clarmundus, d. l., P. V, p. 71, sq.*

(b) *Vid. Gebb. Theod. Meierus in Monumentis Iuliis, p. 23, sq., D. Geezii Selecta ex Hist. Liter., p. 6.*

extraord. et, post quinquennium, ordinarius, constitutus, Doctor simul Theologus renuntiaretur, ad alia quoque obcunda deinceps munera inuitatus, quae tamen omnia maluit recusare, † A. 15XXII.

FRANCISCVS PETRARCHA,  
Areti,in Etruria,natus, vir, teste Trithe-  
mio (a), in diuinis scripturis eruditus, et  
in secularibus literis omnium sui temporis  
longe doctissimus, philosophus, rhetor et  
poeta, celeberrimus, qui literas humani-  
tatis, post longa silentia, mortuas ab in-  
feris reuocavit ad superos, non minus san-  
cta conuersatione, quam scientia, clarus,  
emicuit. De uita eius coelibe Io. Boc-  
catius (b) ita scribit. Credamne igitur,  
tantae dementiae fuisse Platonem, ut Franc.  
Petrarcham urbe pellendum iussit, qui,  
a iuuentute sua, coelibem uitam dicens,  
adeo Veneris spurcitiashorret, ut noscen-  
tibus illum sanctissimum sit exemplar ho-  
nesti, cuius mendacium lethalis est hostis,  
qui uitiorum omnium execrator est, et ne-  
merabile ueritatis sacrarium, uirtutum

C 3 decus

(a) De Genealogia Deorum.

(b) Massonius, d. l., in Vita Boccarii, p. 203.

Decus et laetitia, et catholicae sanctitatis  
norma, pius, mitis atque deuotus, et ade-  
eo uerecundus, ut inde dicatur Partbeni-  
us alter. In iuuentute uero eum ab  
amoribus non plane abhorruisse, re-  
fert ipse, dum ita scribit (a). Libidi-  
num me prorsus expertem dicere posse, o-  
ptarem quidem, sed, si dicam, mentiar,  
hoc secure dixerim. me, quanquam fer-  
uore actatis et complexionis, ad id raptum,  
uilitatem tamen semper animo execratum,  
mox uero, ad quadragesimum annum ap-  
propinquans, dum adhuc et caloris satis es-  
set et uirium, non solum factum illud obse-  
num, sed eius memoriam omnem, sic abieci,  
quod quasi nunquam feminam aspexit esse;  
inter primas felicitates meas numero; D E O  
gratias agens, qui me adhuc integrum et  
uigentem, tam uili et mihi semper odiose  
seruitio liberauit. Habuit quoque fili-  
am, nomine Franciscolam, ex qua  
nepotem ac generum uidit (b).

IOAN-

(a) *In Vita sua*, quam ipse confecit, et Ck.  
Io. Henr. Ackerus, Rudolstadtii, 1711, denuo,  
una cum Petrarchae *Vita*, ab Hier. Squar-  
zaficho conscripta, edendam curauit, p. 5, sq.

(b) Vid. Squarzafichus, d. l., apud Ackerum  
p. 155, sq., conf. p. 82, sqq., Phil. lat. Thoma-  
sinus, in Petrarcha rediuino, c. 22, p. 142.

## IOANNES PICVS,

Mirandulae et Concordiarum Comes,  
 teste Iouio (a), merito cognomine Pōvenix  
 appellatus est, quod in eum dii superi, su-  
 pra familiae claritatem, omnis corporis ac  
 animi uel rarissima dona contulerint. Mi-  
 ra enim altitudine sublimis ingenii, de-  
 cora facie, letissimisque moribus, et incom-  
 parabili, cum disputaret, aut scriberet,  
 facundia, omnes eius seculi sapientes in  
 admirationem sui facile conuertit. Mili-  
 tiam (b) seculi et coniugale vinculum pe-  
 rosus fuerat, interrogatusque inter iocan-  
 dum, quid ei ad alterum subeundum onus  
 ferendumque, et, necessitate cogente, o-  
 ptione data, leuius uideretur, haesit abun-  
 dus aliquantulum, non abundusque, nec  
 non pauxillum subridens, coniugium, re-  
 spondit, cui non tantum esset et seruitu-  
 ris annexum, et periculi, quantum mili-  
 tiae. † Florentiae, A. CCC XCIV,  
 aet. XXXII.

C 4

PLA-

(a) Iouius, d. l.

(b) Vid. Pici Vita, operibus eius praefixa, quam  
 Io. Franciscus, principis Galeorti Pici filius,  
 scripsit, Freherus, d. l., p. 763, sq., M. Io.  
 Christiani Blumii Disp. 2, de Principibus Po-  
 etis, Lipsiae, 1709, habita, p. 31, sq.

## PLATO,

Atheniensis, Philosophorum ille deus, sectae Academicæ princeps, Aristonis et Perictiones, f. Potonae, filius, ex humerorum latitudine nomen adeptus, cum antea, ex aui nomine, Aristocles uocaretur, † ante C. N. A. CCC XLVII, s. XLIX Olymp. cix, aet. XXXI, ut Hermippus et Cicero tradit, uel XXCI, ut Athenaeus, uel LXXXIV, ut Neanthes, in nuptiis discubbens (a) uel, referente Cicerone (b), scribens, de cuius tamen castitate diuersas fuisse opiniones, Laertius scribit (c).

CHRISTIANVS AVGUSTVS  
POMPEIVS,

Vittembergia Saxo, A. ̄ 10 C XXCII  
Doctoris in utroque iure honoribus  
priuilegiisque insignitus, per annum  
haud unum, in Academia patria, tum  
docendo, tum orandis caufis, operam  
strenue nauauit. Excelluit quoque  
in poesi, praesertim Germanica, spe-  
cia-

(a) Vid. Laertius, d. l., L. III. segm. 23, p.  
165, sq.

(b) de Senectute, c. 5.

(c) Vid. Laertius, d. l., segm. sqq., 29, p. 182.

ciatimque in eo carminum genere  
quod ab Italibz ad nos peruenit, et  
*Madrigalium* nomine appellatur. Quot-  
quot eius poemata reperiri potuerunt,  
collegit Cl. M. Samuel Cnauthius, A-  
ead. Biblioth. Vittemb. praefectus so-  
lertissimus, eadem, cum primum  
aliquid otii nactus fuerit, editurus. †

A. ∞ 15 c xxci v, aet. XXIX. (a)

### BENIAM. POZERNIVS,

Sedini Pomeranorum, A. ∞ DCLXV,  
natus, studiis, tum in patria et Lube-  
censi schola inchoatis, tum in Aca-  
demia Vittembergensi, Lipfiensi,  
Helmstadiensi, Chiloniensi, Rinte-  
lenensi, magis magisque auētis, A. ∞ 15c  
xci, Logices ac Metaphysices, in A-  
cad. Gryphica, Professor fuit consti-  
tutus. Per septennium eo munere  
functus, † A. ∞ 15 cxcix, mense Fe-  
bruario, aet. XXXIV. (b)

### PRISCILLIANVS,

Hispanus, ex nobili genere ortus, hae-  
reticus plus satis notus, vir aliqui do-  
ctus et eloquens, matrimonium, tan-

C 5                    quam

(a) *Vid. Progr. Funebre.*

(b) *Vid. Noua Liter. Maris Baltici et Septentr.*

A. 1699, p. 67, sq.

quam coniunctionem iniustam, damnabat, ex quo facile colligi potest, eum abhorruisse a coniugio, in ipso que uixisse coelibatu. A. c. ccc l xxxvi, iussu Maximi, tyranni, Treuiri, caput ei abscindebatur. (a)

SEXTVS AVRELIVS  
PROPERTIVS,

Vmber (b), poeta in elegis excellens, sed admodum obscenus, uixit paullo post Tibullum, eodem tempore, quo floruit Ouidius Naso. (c)

PETRVS RAMVS,

ad Cuthum, agri Veromandui uicum, patre natus agricola, stirpe tamen nobili suit oriundus, in Academia Parisiensi eloquentiae, philosophiae et mathematum, Professor, A. 1577, circiter annum aet. LVII, in la-

nienae

(a) *Vid. Sulpitius Seuerus, II, 45, Sagittarii Introductio ad H. E., c. 33, Baylius, d. l., alii.*

(b) *Conf. Thadæus Donnala, in Diff., de Patria Propertii, Vittembergae nuper recensæ.*

(c) *Vid. Cl. Io. Alb. Fabricius, Bibl. Lat. p. 258. Conf. de uita eius P. Crinitus, de Poëtis Latinis III, 43, L. G. Gyraldus, O.O. T. II, p. 282, sq.*

nienia ista Parisiensi, miserandum in modum, imperfectus. Banosius, (e) de uita eius coelibe, ita scribit. *Coelebs uixit honestissime, ab scortationis non tantum crimen, sed etiam suspicione, semper immunis. Colloquia obscena, utpote quae bonos mores corrumpunt, tanquam toxicum, fugiebat.*

**IACOBVS RHENFERDVS,**  
Mulhemii, in ducatu Bergensi, A.  $\infty$  15 CLIV, communem aspexit lucem. A.  $\infty$  15 CLXXXIX, in Gymnasio Franequerano, Rector est constitutus, quod tamen munus, A.  $\infty$  15 C LXXX, reliquit. A.  $\infty$  15 CLXXXIII, in Academia Franequerana, ad provinciam linguarum, quae ab oriente ad nos peruererunt, et philologiae sacrae, vocatus.  $\dagger$  uir hic, eruditione et linguarum, in primis Rabbinicae, peri-

(a) in *Vita eius. Conf. Vita Rami, a Io. Tb. Fregio confecta, et Rami Praelectionibus in Ciceronis Orat. octo consular. praefixa, p. 350, Freherus, p. 1467, Io. Pierius, Valerianus, de Infelic. Literatorum, qui in Celeb. Io. Burch. Menckenii Annalectis, de Calam. Liter., extat, p. 463, sq.*

peritia admodum clarus, ibidem, A.  
• • • C X I I , aet. L I I X . (a)

PETRVS SCHADIVS,  
cognomento *Mosellanus*, Protegensis  
Treuir, magni illius Camerarii prae-  
ceptor, A. • • • C X V Graecarum lite-  
rarum Lector, in Gymn. Freibergensi,  
primus, A. uero • • • C XVII, Lipsiae  
Graecarum literarum Professor ex-  
traord., et A. • • • C XX ordinarius, †  
A. • • • C XXIV, aet. XXXI. (b)

MICHAEL SCHNEIDERVS,  
Bitterfelda Saxo, designatus, A. • • • C  
XXXIX, in Academia Vittembergensi  
philosophiae moralis et ciuilis doctor  
publicus, sed in ipso munera auspi-  
cio †, A. aet. XXVII. Praeter Lat-  
inam, Graecam, Hebraeam, Chaldae-  
am quoque, Syriacam, Arabicam, E-  
tru-

(a) *Vid. Histor. Criticae Reipubl. Liter. T. III,*  
p. 263, *Bucher - Saal, Oeffn. XXVIII*, p. 269,  
*Acta Eruditorum Germ. P. XXI*, p. 648,  
sqq.

(b) *Adami, Vit. Philosophor. p. 57, sqq.*, D.  
*Andr. Mullerus, in Chron. Freiberg.*, P. I, p.  
287, *D. Menkenius, in Diff. de Graec. et Lat.*  
*Liter. in Misionia instauratoribus*, §. 24.

truscam, Gallicam, Hispanicam, callebat linguam, et, anno aetatis **XIV**, disputationem habuit primam, anno uero **XVII** philosophiae Magister creatus, in sacris literis tantas fecit progressiones, uti summis quibusque honoribus dignus iudicaretur. (a)

**CHRISTOPHORVS  
SCHROEER VS,**

Brega Silesius, A.  $\infty$  **1541** IX, natus, anno aetatis **XVI** Francofurtum ad Viadrum, studiorum causa, adiit, posteaque in patria causas egit, semel iterumque Vindobonam, propter Statuum negotia, missus. Deinde uero constitutus est Confiliarius Regiminis et Synedrii ducalis VVirtenbergico Olsnensis, Cancellariaeque Director, Ducatus item Pregensis Aduocatus prouincialis, et Dicafterii aulico prouincialis Notarius. Scholae illustri Olsnenisi stipendum aliquot mille Iohachimorum legavit, † A.  $\infty$  **1555**, annum aetatis **LIX** ingressus, podagrae et calculi doloribus per ipsos **XVII** annos diuexatus (b).

**HEN-**

(a) *Vid. A. Buchneri Diff. Acad. p. 417, sqq.*

(b) *Vid. Nova Liter. Hamb. A. 1705.*

HENRICVS SIVERVS,  
 Matheos, in Hamburgeni Gymna-  
 sio, doctor publicus, uxorem nun-  
 quam duxit, non, quod cum Heinso du-  
 bitaret, an literato viro ducenda esset u-  
 xor, sed, quod gravi clauditate, ac gravior-  
 re etiam hennia intestinali, praepediretur.  
 Solitariam igitur ac frugalem uitam sem-  
 per egit (a). † A. CICIC CXI.

IACOBVS SYLVIVS,  
 ortu Ambianus, e Picardis, Regius  
 Lutetiae Professor Anatom., † A.  
 1555, aet. LXIII. (b)

GOTLIBIVS GERARDVS  
 TITIVS,

Northusanus, A. 1555, Non. Iu-  
 nias, patre Ioanne, IC., Comite Pa-  
 latino Caesarco, Comitis Stolbergen-  
 sis, ad Hercyniam, Cancellario, ordi-  
 nisque equestris acciuitatum Comita-  
 tus Hoensteinensis, reipublicae item  
 Northusanae, Syndico, natus, A. 152  
 xx, studiorum, in schola tum pa-  
 tria,

(a) Vid. Progr. Funebre, quod in Cl. Fabricii  
 Memoriis Hamb., T. III, p. 535, sq., ex-  
 rat. Conf. T. II, p. 1093, sq.

(b) Vid. Sammarthamus, d. l., L. I, p. 35, sq.

tria, tum Ascaniensi, absoluto cursu,  
 Lipsiam uenit, quam tamen postea,  
 ob pestem, relinquere, ac Rostochi-  
 um petere, est coactus. Triennio fe-  
 re praeterlapsi, Lipsiam rediit,  
 A.  $\infty$  1500 CXXII, in utroque iure  
 Doctor ibi renuntiatus. His hono-  
 ribus impetratis, sex, septem, pluref-  
 que interdum, horas, studiosae iuuen-  
 tuti impendit. A.  $\infty$  1500 CCIX, in nu-  
 merum ordinis iuridici Assessorum  
 receptus, anno autem insequente pri-  
 mum Pandectarum, mox tamen Co-  
 dicis, Professor est constitutus, paul-  
 oque post in summo prouocationum  
 confilio Consiliarius, A.  $\infty$  1500 CCXIII,  
 in Electoralis curiae atque ducalis su-  
 premae senatum cooptatus, + A.  $\infty$   
 1500 CCXIV, XIV Cal. Maias, Rectoris  
 Academici munere fungens. Uxorem  
 (a) nunquam duxit, quod in Musarum,  
 sanctissimarum puerarum, quam in uxori-  
 vis, amplexibus atque familiari con-  
 versatione, plus caperet delectationis  
 atque oblectamenti. Neque tamen ideo  
 stirps ipsi generosa atque proles, quam-

diu

(a) Vid. Progr. Eudebre.

dum supererunt ingenii foetus, unquam de-  
esse poterit. Vir aliquin rectus, inte-  
ger, quietus, nemini grauis, omnibus ob-  
uiis atque expositus, in iudicando acer et  
acutus, laborum patiens, et, ut breuibus  
plura complectamur, vir ad exemplar an-  
tiquitatis expressus, eaque ingenii elegan-  
tia, morumque suavitate, ut ad se quem-  
vis facile admodum inuitaret.

### THALES.

Milesius, primus sapiens dictus, con-  
traxerit ne matrimonium, filiumque,  
nomine Cibissum, procreaverit, an-  
uero permanferit coelebs, sororisque  
filium adoptauerit, aientibus aliis, alii  
negant. Interrogatus, cur liberis non  
daret operam, respondit, *Διά Φιλοτε-  
χίαν, οὐδέπω καὶ πός, Ita με Ιupiter amet, nondum est  
tempestivum, aetate uero ingrauescen-  
te, cum insisteret acrius, θνήτη καιρός,*  
*Iam intempestivum est (a).* Sic aliquan-  
do ad Thaletem Solon ueniens, mi-  
rari,

(a) *Vid. Laertius, L. I, segm. 26, p. 17.*

rari, se, ait, cur neque nuptiarum,  
 neque generandae sobolis, curam  
 haberet ullam. Thales, in praesen-  
 tia nihil respondens, aliquot praeter-  
 lapsis diebus peregrinum subornauit,  
 qui diceret, se ante decem dies Athe-  
 nas reliquisse. Soloni interroganti,  
 quid noui accidisset, iste respondit, se  
 nihil scire, praeterquam, quod ado-  
 lescentis corpus funere sit elatum, to-  
 ta comitante Athenarum cinitate,  
 propterea, quod ipsi clarissimus, et  
 inter ciues uirtute primus, iamque ab  
 urbe absens, pater esset. Quia re So-  
 lon percepta, o, hominem, inquit, in-  
 fortunatum, quaerendoque instiit,  
 quodnam ipsi fuerit nomen. Equi-  
 dem ait, audiui, sed oblitus sum, tan-  
 turnque memini, eius sapientiae et iu-  
 stitiae mentionem esse factam. Tan-  
 dem Solon, his commotus uerbis, di-  
 xit, Filiusne fuerit Solonis? Quod  
 cum homo affirmaret, Solonem ca-  
 put caedere, taliaque et facere, et di-  
 cere, coepisse, quae moerore affecti  
 facere consueuerunt. Tum Thales,  
 subridens, ad Solonem conuersus, At

D

hace

haec me, inquit, Solon, a coniugio  
deterruerunt, quia te etiam, constanti  
animo virum, frangunt, sciasque haec  
omnia esse a me facta, neque, hanc  
ob causam, nuntio tu quicquam de-  
bes moueri (a). † aetatis anno LXX,  
sive, ut Sosocrates ait, xc, Olympiadis  
LIX A. CCIX, v. c. XCV.

**GEORGIVS HIERONYMVS**

**VVELSCHIVS,**

Augustanus, Medicus urbis suae ce-  
leberrimus, S. R. I. Academiae Natu-  
rae Curiosorum Assessor, vir πολυμα-  
θεός et ποληγλωτήτας, † A. 80 100  
XXXVII, aet. I. III. (a)

**HERMANNVS**

**VVITTEKINDVS,**

Niemroda VVestphalus, Philippi Mel-  
anchthonis discipulus, cui tantopere  
se probauit, ut ab eo, qui reliquis fe-  
re collegis suis electiones publicas pre-  
scribere solebat et dictare, publice,

praef-

(a) Vid. Plutarchus, OO. T. I, p. 81, ed. Fran-  
cof. VVevel., in f.

(b) Vid. D. Lucas Schroeckius, in Memor.  
VVelschiana, p. 17, D. F. Poenmanni Vi-  
tae Virorum ex quibus Fac. Clariss. P. I, p.  
203, sqq.

praelegere, honoris causa, sit iussus.  
 Eiusdem suasi hortatuque Rigensem,  
 in Liuonia, scholam primum guber-  
 nauit, in Academiam inde Heidelber-  
 gensem, ad docendas ibi literas Grae-  
 cas, excitus, quarum longe is peritis-  
 simus erat. Heidelberga, cum aliis  
 quibusdam, Neapolin Nemetum se-  
 cessit, hinc tamen eodem reuersus,  
 ubi reliquam aetatis partem in Ma-  
 thematum professione, summa cum  
 industriae laude confecit, † A. 100  
 IIII, aet. XXCI. Vixit semper (a) coe-  
 lebs, ueritus, ne in caniculam incideret,  
 quae latratu suo perpetuas ei crearet mo-  
 festias. Fuitque uere

Integer uitiae scelerisque purus,  
 et non factus ad genium huius seculi, un-  
 de paucorum se dabat familiaritatibus, lib-  
 bris studijsque assiduo accubuoque opera-  
 tus.

## HIERONYMVS VVOLFIUS,

Oetingensis, Socrates Sueicus (b), Grae-  
 ve Latineque doctissimus, Christianae Phi-  
 losophiae et eloquentiae princeps, uir ad-

D 2 scriben-

(a) Adamius, d. l. p. 455.

(b) In Epitaphio, apud Adamium, d. l. p. 318.

scribendum, docendum, natus, antiquae  
 uirtutis ac fidei Germanicae exemplar,  
 Augustae Vindelicorum Gymn. et  
 Biblioth. praefuit annos XXIII, † A.  
 & 15 LXXX, aet. LXIV. Adamius (a)  
 de uita eius coelibe haec refert. Nec  
 illud in VVolfio laudamus, quod coniuge-  
 um uitauit, et, felicitatis partem praece-  
 puam putauit, ἀγαπόντες οὐ γένουντο εἰδος.  
 Quae enim potest in hoc esse felicitas, quod  
 DEVS ipse malum dicit? Deceptus est igit-  
 tur opinoris errore, quod id in bonis nu-  
 merauit, quod DEVS malum pronuntiat.  
 Quin commodi, uoluptatis et solatii, pluri-  
 num ex eo coepisset, in cuius sinu effun-  
 dere molestias lenire et fastidia uite la-  
 borumque uocationis excutere sciuisse.  
 Tanto igitur bono cum se priuarit ipse,  
 accediborem illi omnem esse uitam, oporeuit.  
 Nec potuit iure queri, occasiones fibi de-  
 fuisse, cum non semel diuinitus oblatas  
 fuerint non contempndae.

**JOANNES VVOVVERVS,**  
 Hamburgensis, Sereniss. Holsatiae  
 Principis Consiliarius, Polyhistor  
 celebre-

(a) *Idem, d. l., p. 307.*

(37)

celeberrimus, † A. 100 CXII, aeta-  
tis XXXIX. (a)

## XENOCRATES,

Chalcedonius, Philosophus Platonici-  
cus, de quo tradunt, ipsum a Phry-  
ne, haud ignobili scorto, fuisse solicita-  
tum, et, si quando Phrynem quis  
persequeretur, ab ipso intra casam fu-  
isse receptam humaniter, ac lectulo,  
quem unicum ille habebat, fotam, re-  
que infecta, dimissam, confirmantem,  
fesse ab lapide, non a homine, surre-  
xiisse. Non nulli, a discipulis eius Lai-  
dem in lectulum eius coniectam, fe-  
runt, ipsumque tanta fuisse continen-  
tia, ut, cum, libidine se irritari, sensi-  
set, secari non raro atque ustulari ue-  
renda, pateretur. † aet. A. LXXXII. (b)

## ZENO,

Mnasaei, siue Demei, filius, Cittieus,  
ex Cypro, Greco oppidulo, Phoeni-  
cibus accolis, Philosophus Stoicus.  
Vxorem non duxit, πανδρίοις τε ἐχῆτο  
πανίως, ἀπαξὴ δἰς που παιδισκάριώ τινι,

D 3

(a) *Vid. VVittenius, Mem. Phil. Dec. I, p. 79, sq.,*  
*Cl. Io. Frid. Reimanni Versuch einer Critique,*  
*über das Dictionnaire Historique et Critique*  
*des Msr. Bayle.*

(b) *Vid. Laert, L. IV, segm. 7, p. 221.*

*ταὶ μὲν πεντεράνης εἶναι. Cum Antigonus aliquando tibicinam mulierem ad eum induxit est, ab se ad Persaeum abduxit. † aet. XCHIX, uel, ut alii, LXXII.*

(4)

### MICHAEL GODOFREDVS ZIEGRA,

Constantini<sup>(b)</sup>, D. Theologi, Physici, ordinisque Philosophi senioris, in Acad. Vittemb., filius, A.  $\approx$  10 CLIX, in lucem editus est communem. In patria et Salana urbe aliquot annos Medicinae studiis impendit, domumque reuersus, non sine singulari laude et felicitate, exquisitam expeditamque medendi artem permultis, morbo laborantibus, toto reliquae uitiae spatio, probauit, A.  $\approx$  10 C XC IX, insignibus Doctoris auctus ornatusque, † A.  $\approx$  10 CC XII, XVII Cal. Martias, apoplexia. Vixit<sup>(b)</sup> annos tres et quinquaginta, detractis totidem diebus, uita, quam sancte, continenter, officiose, pacate, egit, longiore dignus, nisi DEUS cum coelo dignior em iudicasset.

DAN.

(a) Laertius, L. VII, p. 366, sqq.

(b) Vid. C. S. Schurzsteischii Diff. Ac. p. 563, sqq.

(c) Vid. Progr. Fun.

A.C.  
IAC. PRIMERIO  
DANIELIS HEINSII

EPISTOLA  
QUA AGITVR  
AN ET QVALIS  
VIRO LITERATO  
DVCE NDA SIT Vxor

AD

V. C

IAC. PRIMERIVM

V. C

IAC. PRIMÉRIO

DAN. HEINSIUS

S. D.

DVACVM

Delicatos uero ac suauissimos, Pri-  
meri optime, uersiculós, quos  
ante dies aliquot ad nos misisti, recte  
accepitius, quibus ne Musas quidem  
quicquam dulcius, aut elegantrius, in-  
Cadmi olim cecinisse nuptiis, existi-  
mo. Tum, quod sāne miror, sum-  
mam rationem habitam accentuum  
hic, uideo; quae Gallorum et Belga-  
rum syllabas, quod pauci haec tenus ob-  
seruant, moderatur. Beatam uero eam  
Nympham, quam tu famae et aeter-  
nitati uenuitate illa traditurus es. Fe-  
rent enim annos, si quid iudico, quae-  
cunque ab hoc genio iudicioque con-  
dimentum acceperunt. Legi et La-  
tinos, quorum non est minor elegan-  
tia. Ut mihi quidem plane Aster-  
opoeus uidearis, uere ambidexter. Nam  
quid ego, de tuarum elegantia nunc  
dicam literarum, in quibus, cum acu-  
mine

mine felici , terfa quaedam ac nativa  
 sic uenustas ac Latinitatis indeoles con-  
 spirat , ut , qui merito de utriusque i-  
 mitatione desperaret , utrumque a  
 natura proficiisci , libertissime conce-  
 deret . Idein , scio , iudicabit noster  
 Baudius , aetatis nostrae , ut tu uere ,  
 summum ornamentum . Sed lepo-  
 rem et festiuitatem , quae in illo ui-  
 ro est , praesentes tantum uident , quia  
 maximam merentur admirationem ,  
 quae sine ulla meditatione ac cura ,  
 aliud agenti , excidunt , in primis Iam-  
 bi , quibus cum antiquitate certat . Quic-  
 quid enim illi benignissima suppedita-  
 tis memoria , hoc carmen , quia pro-  
 xime ad sermonem , ut de eo recte  
 sentit Aristoteles , accedit , facile ad-  
 mittit , nec uarietatem illam dictionis ,  
 quam , ubique similem et uniformem ,  
 reliqua , quae grauiora sunt , deside-  
 rant , similium sermoni , respuit ,  
 contra , quam fit in tragoeadia , in qua  
 seueritas consideratur . Atque utinam  
 ad reliqua tam respondere possem ,  
 quam de illis tuis iudicare potui . Quia  
 tamen uim amicam plane adhibes , o ,  
 bone , et , in re quam maxime ardua

D , ac gra-

ac graui, non tam poscere consilium,  
 quam extorquere, hic uideris, age  
 sane, uiro optimo geramus morem.  
 Non, ut praescripsisse quicquam ui-  
 deamur, sed, ut de iudicio unius, quan-  
 tum est eritque unquam hominum,  
 uere amicissimi, constare tibi possit.  
 Tria sunt uidelicet, de quibus quaer-  
 ris. Primo, Vtrum Literato ducen-  
 dam esse existimem uxorem. Secun-  
 do, De tua quid existimem, cuius tu  
 hic dotem, famam ac ingenium, mi-  
 rifice extollis. Et de singulis ex aliis  
 non pauca iam audiui. Tertio, Quo  
 pacto hanc amandam tibi, arbitrer.  
 Primum quod attinet, miratus sum,  
 ut controuersum id ate proponi, quod  
 ipsa hactenus diiudicat natura, quae  
 à communi hominum conditione li-  
 teratos non excepit, neque sexu quo-  
 dam tertio distinxit. Quod et antiquis  
 fumorum exempla probant sapien-  
 tum, quorum nemo, ne in maxime  
 seuera quidem ac austera Stoicorum  
 gente, fuit, qui non barbam quoque  
 et supercilium uxoriis amplexibus  
 summiserit, aut in ista parte a reliquis  
 dissenserit. Non, quin coelebs for-  
 te ui-

te uixerit non nemo, sed, quod non,  
 qua talis. Verum, quia hic aduersus  
 uoluptatem stimulos praesidii a natu-  
 ra plusculum, quam ille, accepit, uel,  
 quod minus acres sentit, uel, postre-  
 mo, quod amoris simulachra diligen-  
 tius uitare solet. Nam hoc plurimum  
 in hac re potest. Humanus quippe  
 animus in eam penitus conuersus par-  
 tem, quam praeclare imperantem.  
 Stoici et Plato dicunt, qua ad Deum  
 immortalem proxime homines acce-  
 dunt, et in qua supremum hominis ac  
 proprium uersatur opus ac officium, a  
 sensibus externis separatus, tutum ac  
 immunem a contagione ista facile se  
 praefat, quae, ut primo se per oculos  
 insinuat, ita parte ea, quam natura rati-  
 oni maxime opposuit, ac cuius pudere  
 omnes uoluit, restinguitur. Cui, qui  
 honeste imperare nondum didicit,  
 honeste seruiat, si uolet, et ad gene-  
 ris humani propagationem, quod ne-  
 etigal omnes conseruationi eius de-  
 bent, caste ac legitime accedat. Ad  
 de his infinita, quae p[re] reliquis ad  
 hanc uiuendi rationem inuitare lite-  
 ratum hominem debebant. Inter quae  
 uel primo illud loco pone, quod ple-  
 runque

funque rebus suis et domesticis negotiis, dum alibi intentum habent animum, praeesse, ut alii, non possunt. Qui, quo est nobilior, eo, cum in se reflexus et a curis istis, sine quibus se tueri paterfamilias non potest, longius remotus est, eo contemplatur acrius. Quod Democrito et Anaxagorae evenit. Quorum a corpore et humanis cogitationibus diuulsus quasi ac auersus, peregre dum esset, animus, culta et agellos, ut antiqui notant, pecudes depauperabat. Quare in partem domus sane uxor, non illempida, non inuenusta, nec lasciuia tamen, ueniat. Quae postquam interdiu, curas istas minimas, sed tamen necessarias, in se suscepit, noctu matronali uerecundia, quam castus ac legitimus mariti amor, non lubido sua aut procacitas, remittit, grauiores quoque abstergat, et complexibus suauissimis morosam illam contemplandi uoluptatem diluat. Non, ut corpus, quod est belluarum, defatiget, sed, ut maius desiderium in animo accendat, menti autem instrumenta sua integra relinquat. Quae

in cor-

(45)

in corpore, non uegeto, non sano;  
aut, si nimia libido id afflixerit, opus  
suum, ut oportet, exercere, uenustissime  
Primeri, uix est, ut possit. Iam,  
quid suauius a publico negotio aut li-  
bris uenienti, quam uxorculae con-  
spectus, quam occursus liberorum,  
qui ut e parentis sententia instituan-  
tur, mature de conditione aliqua est  
cogitandum, tum uero, quia aetas  
nulla satistuta est ab eo, quod hac pri-  
ma tantum tempestiue fieri, putatur.  
*Turpe enim est senilis amor*, ut poeta  
tuus canit. Quod si urges, et exem-  
plum mihi, non alterius, sed meum,  
homo urbanissimus, proponis, nec  
consilium a nobis modo petis, sed et,  
institutum, pro lepore tuo, nostrum  
serio miraris, pro me pauca lo-  
quar, et in sinum trium hunc no-  
strum semel candide effundam. Ego,  
libero, si uerum uis audire, lectulo  
ac meo nihil hactenus beatius, nihil  
ad deorum uitam propius accedere,  
putaui, in quo inter somnum ac no-  
cturnam cogitationem tota nox diui-  
ditur, neque ad arbitrium cuiusquam  
dormiendum est aut uigilandum. Ex  
quo

quo ipso, cum uidetur, ne libellos quidem meos, intimae admissionis socios, excludo. Quod in matrimonio, si quisquam, optime uitare queam, et, uitandum esse in primis, censeo. Nullus enim Aristoteli est locus aut Platoni, ubi stola regnum possidet, neque quicquam magis diluit amorem, quam austerae maritorum noctes et Musarum perwigilia. Ipsum quoque Homerum, cum corona et unguentis, non e ciuitate, quod uolebat ille, sed electo, relegandum, puto. Et profecto, cum siue ipse Deus immortalis, siue ancilla eius, mater optima, natura, sexui infirmiori huic plurima, grauissima durissimaque proposuerit, adeo, ut hanc ipsam, si quam e complexu maritali, re tam casta, tam honesta, uoluptatem exceptit, grauissimis redimere doloribus, tanquam debito naturae, sit obstricta, quid tam aequum est, o, nosfer, quam, in comitate uiri ac lubentia, non nihil solatioli habere mulierculam, animal ut imbecille ac blandum, ita, nisi quatenus mariti amor intercedit, prope ad calamitatem natum. Cum praefertim

tertim huic rei ignauissima pars uitae  
 nostrae nox sit destinata, ne cuiquam,  
 scilicet, discedat, quod uxorculae im-  
 penditur. Quare apage istos, qui ad  
 lectum, tanquam ad tribunal publi-  
 cum, accedunt, qui eodem uultu con-  
 iugi se sistunt, quo sententias pronun-  
 tiant. Adde eos, qui, morose nimi-  
 um ac pertinaciter addicti Musis, in  
 suauissimo atque omnium participe  
 corpusculo, librorum moles, ex ine-  
 pra consuetudine, deponunt. Nam et  
 istos noui. Vere umbratica ingenia  
 quibus nimia in literis intensio, ac cu-  
 ra, usum pariter uiuendi adimit ac  
 fructum. Iam non nulli sunt, qui, sa-  
 tis esse, existimant, si uirum egerint,  
 cum plus sit, agere maritum. Quod  
 in reliqua non tantum uita, sed et  
 ista quoque parte, latius diffunditur.  
 Itaque, ubi, tanquam necessarium tri-  
 butum, ius uxori praestiterunt, ite-  
 rum de libris cogitant, cum benigni-  
 tate potius totius uitae ac iucunda con-  
 suetudine, quam iuncta aut praefcri-  
 pta ad arbitrium naturae uoluptate,  
 matrimonium alatur, quae in bellu-  
 is coacta, in hominibus a ratione

quasi

quasi condimenta quaedam, delicatas  
 accipit blanditias, a quibus ipsa supe-  
 ratur. Mea autem alia est ratio, cui  
 ne hic quidem otioso esse licet, ubi,  
 praeter sapientiam, amplectior nem-  
 nem, in lecto scilicet, ubi de diuinis  
 ac humanis rebus mecum cogito, u-  
 bi tanquam positus in specula, ambi-  
 tione fori, aulae uanitatem, neque  
 ualde literatus, neque tristis admo-  
 dum, homuncio, ridere mecum so-  
 leo, et iudicium de nobis utriusque,  
 innocentissima ingenii hilaritate, ulci-  
 scor. Interdum, ne quid mentiar,  
 ex animo et bona fide dormio. Video  
 enim, uiros eruditos, et qui nimium  
 se macerant, plerunque haud diurna-  
 re. Quare, operam in primis dan-  
 dam, puto, suauiter ut uiuam, anice  
 securus, ne aut causa excidam in fo-  
 ro, aut in ambitu repellar, aut in ma-  
 ri Indico, aut nostro, bonis eluam,  
 accadam, aut dum male, nescio quis,  
 nostra gerit, publice conturbem.  
 Multo minus, ne de dote filiae, aut  
 patrimonio heredis, quotquot anni,  
 aliquid discedat. Quos mortales, e-  
 go, qui aut quales sint futuri, nec  
 dum

dum noui, neque scire admodum ex-  
opto. Felicitatis huius meae ne for-  
tasse aliquando obliuiscar, aut non sa-  
tis talis mihi uidear, ut conditionis no-  
strae nosmet poenitere solet, Hagam  
me subinde confero, ubi uultus intu-  
eor eorum, qui aut calide ambiunt,  
aut litigant solicite, aut misere exci-  
dunt. Quorum numerum subduco,  
et, quemadmodum consulibus Ro-  
mani, ita annos singulos calamitate  
ambitionis noto. Neque raro epigram-  
mate aliquo festiuē ista rideo ac ludo,  
quae prudentiores, ut putantur, quam  
sum ego, sola admirantur. Iam, si  
quando studiorum aut quotidianae le-  
ctionis taedium me percipit, corpu-  
sculum suauissime exerceo. Est in i-  
sta urbe equus, notae lenitatis animal,  
ac plane inuictae, tanto robore animi,  
ut stimulos, calcaria ac flagra (quan-  
quam et in aliis non nunquam me ex-  
ercui) plus, quam Stoica constantia,  
contemnat, tam exacta autem macie  
et exquisita, ut propemodum iam,  
quod in equo generoso commenda-  
uit Maro, stare loco nesciat. Quem  
ubi aliquantulum defatigai, sine ul-

E

lius

lius principis benignitate, eques domum redéo, aliquanto, mihi crede, alacrior, quam si, de quo te nunc totum cogitare reor, ab uxoriis complexibus redirem. Rempublicam autem, et quaecunque eueniunt in ea, eminens aspe<sup>c</sup>to, ut et sacrum bellum hoc, quod, tot iam annos, styli geritur mucrone, uerae tantum pietatis studiosus, quam ex sacris libris et theologis antiquis, quos non parum reuerenter tracto, hauriendum, arbitror. Cetera, quaecunque, doctioribus relinquo, inter quos non nulli, qui arcana Dei ignorare nolunt. Quasi parum fit, dare operam, ut saluus fias, quanquam ista nescias, quae Deus uoluit nesciri. Mihi uero sufficit, quod illi fatis est. Disputando autem nec fortasse illi placeas, et, plurimos, neceſſe est, offendas. Accedit huc, quod nulla ratione magis ueritas inuoluitur, quam, qua plerique eam quaerunt. Haec cogitanti (et non nunquam puer ex Bernardo, aut Hieronymo, aut Augustino, ceterisque uiris sanctis, legit aliquid) somnus placide obrepit, nihil minus, quam solici-  
to,

to, ne postridie surgendum sit mane.  
 Nam ut plurimum in multam lucem  
 lego aliquid aut meditor in lecto , si  
 praesertim nihil sit in publico dicen-  
 dum , cui rei hora destinatur. Quae  
 ubi cecinit , autorem aliquem in ma-  
 nus sumo , e quo , uultu grauissimo ,  
 insuper togatus , ne tu nihil agere nos  
 credas , aliquid interpretor , in quo ,  
 aut de Hectore , aut Polydamante ,  
 aut de Priami maiore nuru , differo.  
 Interdum horam integrum irascor  
 Agamemnoni , quod nullo loco ha-  
 beat Achillem , interdum huic ipsi ,  
 quod tam grauiter succenseat. Inter-  
 dum parricidium Orestis , Clytae-  
 mnestrae adulterium , accuso. Haec  
 qui imposuerunt nobis , nullo modo  
 metuunt , ni fallor , ne arcana rei-  
 publicae ad hostem pericribamus , aut  
 in ea anxie inquiramus. Fieri autem  
 potest , ut nec illis ego suam inuide-  
 am felicitatem. Ita pares sumus. Mi-  
 hi uero placet hactenus professio non  
 grauis , quae ad alia , quae lubet , co-  
 gitanda spatium ac tempus concedit.  
 Hac molestia defunctus , domum re-  
 deo , ubi in omne studiorum genus a-

nimum diffundo, quibus a contemptu  
olim facile, ut spero, vindicabimur.  
Neque raro et publicam bibliothecam  
peto, cuius regni cura, beneficio  
eorum, quibus cura studiorum in hac  
urbe incumbit, nobis contigit. In quam  
simil pedem pono, foribus ac uulgo  
pessulum cum cura obdo. Ambitionem  
autem ac amorem, aliaque id  
genus, quorum parens est ignavia,  
excludo, atque in ipso aeternitatis  
quasi gremio, inter tot illustres ani-  
mas mentesque, sedem mihi sumo,  
tam ingenti quidem animo, ut ma-  
gnatum saepe sim misertus, qui feli-  
citatem hanc ignorant. Huius uitae  
suavitate mirum hactenus in modum  
oblectatus, si fortasse quaeris, quare  
uxorem domum non deduxerim, ita  
felix mihi hoc, quod ago, sit et fau-  
stum, ut propemodum oblitus sum.  
Ea meditationum nostrarum uis est et  
illecebra. Porro, ut nemini sum au-  
tor, qui sic potest uiuere, ut uxorem  
ducat, ita, qui uxorem duxit, ei non  
sum autor, ut sic uiuat. Alia enim  
uiri felicis, alia prudentis mariti, est  
ratio. Tum et feminae ambitiosae  
sunt,

sunt, ac liberi plerunque multis egent.  
 Iam ad tuam uenio, quod erat alterum.  
 In qua primo omnium de dote agis.  
 De qua iurejurando, ut, ex animi  
 sententia me loqui, credas, opus non  
 arbitror. Ego, mi Primeri, dotem  
 luculentam nunquam contemnen-  
 dam putaui. Cuius quidem tu opi-  
 nionis meae causam si expectas, non  
 te ad philosophum, sed in macellum,  
 aut ad Ianum medium, abire iubeo.  
 Quo cum adueneris, quem quantum  
 que usum nummis habeat, sine piae-  
 ceptore ullo facile intelliges, cuius be-  
 neficio ac usu omnia mortalibus con-  
 tingunt, praeter bona animi, quae  
 esse alibi quaerenda, non ignoras. Ad  
 haec quoque cum splendorem suum  
 Diua contulit Moneta, cetera aut con-  
 firmat, aut non mediocriter illustrat.  
 Quam et comparare, ut oportet, et  
 conferre, quo oportet, materia uirtu-  
 tis est. Ex eodem enim diues fuit  
 Croesus, liberalis Cimo, qui turmatim  
 pauperes ad se uocabat, quos mox,  
 bene ac prolixo habitos, ad suos di-  
 mittebat. In egentes quoque, si quos  
 norat, coferebat stipem. Qua uirtute  
 nihil

nihil dignius est homine, ut quae no-  
men accipit ab eo. Eadem enim et  
humanitas non nunquam dicitur. Ut  
de magnanimitate nihil dicam, quae  
cum omnium uirtutum sit regina, si-  
ne opibus tueri se uix potest. Cetera  
uiuendi quoque officia omitto, quae  
sine iis uix describi a philosophis pos-  
sunt, tantum abest, ut ab actionibus  
non nullis queant separari. Quare,  
qui tantopere Aristotelem conde-  
mnant, quod non nihil ad felicitatem  
usus ac momenti in his ponit, Sto-  
eorum autem nimiam seueritatem  
extollunt quotidie ac commendant,  
et sine iis tamen frui istis, quae exo-  
ptant maxime, non posse se, fatentur;  
idem mihi facere uidentur, quod cho-  
rarium qui tollunt, cum libenter in  
theatro sedeant. Nam, si in conten-  
tionem cum uirtute ueniant aut mo-  
ribus, cedant sane, si praesertim ea  
sit felicitas mariti, ut uirtutem coniu-  
gis ac mores sua sibi dote sustinere  
possit, quos pleriq. laudant, pauci imi-  
tantur. Nec iam dico, quam sit homini  
festiuo dignum, ad complexus quoque  
et oscula, et cuncta, quae per teluben-  
ter

ter agas, quasi stipendiolo adduci, ne  
uel gratis, scilicet, sis felix. Quo au-  
ctoramento nullum minus est mole-  
stum, sicut contra nihil est miserius,  
quam procreare liberos, ad quos ni-  
hil ex hereditate tua, praeter famam,  
peruenturum uideas, ac sitim. Adde  
iam, quod ipsa quoque Venus, cum  
culina, feruet pariter, ac frigeret. Se-  
cundum erat, Forma, quam in tua  
cum tantopere commendas, risum e-  
quidem uix tenui. Hoc enim ipsum  
est amare. Vellem tamen, quod in  
primis dignum hac uernilitate erat,  
eius nobis definitionem aliquam dedi-  
ses. Nae tu maximam, o, noster,  
praestitisses rem, et quam hactenus  
Venerei nepotuli ubique quaerunt.  
Inter quos non magis de hac hacte-  
nus conuenit, quam de summo bono  
inter priscos sapientiae consultos. Sed  
ponamus tamen aliquid. Frontem,  
tenuem, quam quidam latam esse  
malunt, supercilium, quale Iouem o-  
lim habuisse, creditit Homerus, coe-  
ruleum, oculos nigerrimos, crines  
summa sui parte aureolos, sed qui in-  
fra supercilio si non respondent pla-  
ne, aliquantulum accedunt tamen,

quales in Bathyllo suo esse , uoluit  
 Anacreon. Candorem exquisitum ,  
 sed quem rubor uirginalis , genarum  
 ille pictor , illustret potius , quam pin-  
 gat , osculum angustum , quod , ruben-  
 te utrinque labellorum purpura di-  
 stinctum , dentium candorem quoque  
 plurimum commendet . Nares sur-  
 sum leniter inflexas , sed , quae a So-  
 craticis quam plurimum recedant .  
 Vescum corpusculum , et tamen soli-  
 dum ac succi plenum , quod nec mo-  
 le carnis amplectentem oneret , ne-  
 que exhaustum magna sui parte of-  
 fendat . Papillas autem , paruas qui-  
 dem illas , et , quae orbe modico cohi-  
 beantur , instar uero marmoris , ut ue-  
 tus loquitur poeta , consistant . Ne  
 iam cetera hic tangam , quae natura  
 tegi maluit . De quibus uos , paeclari ,  
 scilicet , astrologi , ex ingenio uul-  
 tus , ocolorum radiis , circumduictio-  
 ne oris , sciscitari soletis . Quid enim  
 non poetae possunt , qui diis ipsis  
 dant , quod ament , et coelestes uul-  
 tus non inueniunt , sed formant ? Quis  
 non in imagine , aut statua , haec ma-  
 lit , quam in coniuge ? Quae cum uni  
     placuit

placuit, tam facile aliorum iudicia,  
 quam pudicitiam, tuetur, et, si recte,  
 est morata, vultum minus elegantem  
 cetera emendant, aut absoluunt. Illa  
 uero, quae, cum prodit, aliorum in  
 se oculos conuertit, etiam, si sit pudica,  
 semper habet, quod excuset ipsa,  
 aut maritus suspicetur, quippe quae  
 suspicionis causas publice circumfert,  
 cui in formosa quiduis satis est. Huic  
 adde aliud naturae arcanum, quod in  
 florido plerunque corpore, et succi  
 pleno multa quoque copia luxuriat  
 spirituum, quam pruritus acer et in  
 Venerem lasciuia consequitur. Hanc  
 uero alia non pauca, quae cum uiri  
 erudit rationibus haud multum mihi  
 quidem, mi Primeri, facere uidentur.  
 De nobilitate sequebatur aliquid in tu-  
 is. Quae, ut recte Aristoteles, virtus  
 est generis, non nostra. Quare in te  
 quoque eadem si sit, non dissuaserim,  
 ut eius rationem habeas. Sin autem,  
 onus esse, scito, nisi auro aut agilita-  
 te redimatur, quam ut semper aesti-  
 mare, ita uiris imputare, solent femi-  
 nae. Ne iam de putiditate sexus di-  
 cam, quod perpetuo, cum traedio ui-

E, rorum

rorum, auos suos atauosque narrant  
 et loquuntur. Verum de ingenio iam  
 uideamus, quod tu , tum in iis, quas  
 ad me dedisti literis, tum in uersibus,  
 mirifice extollis. Scribis, memoriam  
 illius esse summam, admirabile iudi-  
 cium, incredibilem solertiam, inge-  
 nium autem, supra sexum, quod pro-  
 pe in stuporem quemlibet abripiat,  
 Martialis quoque uersus plurimos te-  
 nere, quos in primis scite, suo quem-  
 que loco, pro ingenio expromit. Quare  
 seruitutem nouam crescere indies, a-  
 mantiumque plena esse omnia, ac ce-  
 tera, quae, disertissimus uirorum, ple-  
 no ore praedicas. Neque enim , si  
 quid iudico, metuere uideris, ne, quod  
 fieri nonnunquam solet, fidem habe-  
 am tam large , tam facunde, com-  
 mendanti, et riualis transmarinus fi-  
 am. Ante omnia mirari subit, quod  
 tam accurate omnia diuiseris, ut qui  
 nihil in illius commendatione, pree-  
 ter unicam uirtutem, mihi quidem  
 praeterire uisus sis , siue, quod hoc  
 totum nunc rusticitas uocatur, siue ,  
 quia uos poetae cetera libertius lau-  
 datis, uirtus autem minus lepide ex-  
 tollitur,

tollitur, neque semper belle dicitur, in  
 carmine. Adde, quod, qui elegos  
 conscribunt, temperantiam ac casti-  
 tatem, primas feminae uirtutes, ubi  
 ponant, non inueniunt. reluctantur  
 enim syllabae. Ut tam male uobis cum  
 matronae honestate, quam poesi ue-  
 strae cum illius conuenire moribus  
 ac uita uideatur. Iam uero de paren-  
 tibus hic nihil, nihil de amicis ac pro-  
 pinquis, quae praecipue spectari so-  
 lent, neque sine causa, si quid iudi-  
 co. Primo enim plurimum ad digni-  
 tatem tuam ac fortunam refert, qui  
 qualesque sint hi, si praesertim ad ma-  
 iora, quod uirtute tua dignum est, a-  
 spires, tum ad hoc negotium, quid  
 aestiment aut spectent. Ne tu, quem-  
 uis eruditioni tuae aut ingenio faue-  
 re, existimes, cum paucissimi sint ta-  
 les, hoc praesertim aeuo, quo pleri-  
 que collybo infectas habent manus,  
 et nunc permutatio in nuptiis, quae  
 exemptionis species, instituatur. Aeta-  
 tem quoque addis, annum unde uige-  
 sum iam attigisse, qui est flos ipse,  
 et educationem, aliquandiu in Gallia  
 uixisse. Sed, ut dixi, de ingenio iam  
 uidea-

uideamus. Quod quis non aut aestimet,  
 si adsit, aut non optet uehementer, si  
 non adsit. Omnes enim aequi id spe-  
 ctamus, et in primis inter eos nomen  
 semper sum professus meum. Neque  
 hoc ignorare potes, si uersiculos legi-  
 sti nostros, qui iam annos aliquot mul-  
 torum manibus teruntur. Diu est e-  
 nim cum fregerunt claustra. Addo,  
 sicuti ingeniosam uideo aut eruditam,  
 magis admirari me, quam, si, ab istis  
 sexum commendari nostrum, uide-  
 am. Sed, quandoquidem nec sem-  
 per agimus poetam, neque ingenium  
 per se consideramus, quid si ego se-  
 rio nunc tecum agam, et, nugarum  
 omnium oblitus, rem, ut habet ordi-  
 ne examinem? Primo autem omni-  
 um, si lubet, uide, ne, quod tu inge-  
 nium nunc uocas, ac tantopere com-  
 mendas, alii proteruitatem dicant  
 merito aut petulantiam. Quam nec  
 damno prorsus, quanquam nolim qui-  
 dem, sed quid agas, seculo inuito. No-  
 ui quoque, citra famae aut pudoris  
 labem multas esse tales aut fuisse, ne-  
 que raro post Lucinam et familiae  
 molestias mutari. Neque ego, ne tu  
 censeas, Sabinam aliquam nunc lau-  
 do,

do, quae nihil, praeter pondus supercili, pro dote, afferat ad uirum. Verum, hoc potissimum nunc quaeri, arbitror, qualis literato homini conueniat, aut, ut sic proprius accedam, tibi. Non enim quaelibet honesta, quemadmodum, quae tibi non conueniet, non minus ideo hoc erit. Absit sane omen. Ut, si meus calceus non pedem meum urgeat, sed alienum, aut, qui factus est ad alienum pedem, premat meum. Quicquid autem est dissimile aut nimium, ut in republica seditionem, ita in familia molestiam, creare solet, pulchritudo quoque, et opes, et nobilitas, quia, cum superiores horum aliquot sunt feminae, simpliciter superiores esse uolunt. Ut imperium affectent in familia, sicut ciues in republica, ideoque medii in republica tantopere laudantur, qui nec causam dant seditioni, et ab urbe eam facile auertunt. Tranquillitatis enim simul fundamentum, et remedium molestiarum, mediocritas. Et, eodem sane modo, mariti imperium ad feminam, quo principis transferatur ad populum. Tamen, de ingenio quan-

quandoquidem nunc agitur, uelim,  
 primo omnium, quem eius usum es-  
 se, existimes, in femina, respondeas,  
 ne aliud agamus. Nihil enim frusta  
 esse expetendum nosti, et ad finem  
 suum cuncta esse referenda, homo  
 doctissimus nescire non debes. An  
 in senatu sententiam ut dicat? An ut  
 uersum aequa eleganter, actu, scri-  
 bat? Nihil horum credo. Ergo, aliud in  
 senatore, aliud in patrono, aliud re-  
 quiri, uides, in poeta. Et hoc ipsum,  
 cui id requiritur, nos opus singulo-  
 rum dicimus. Sicut aliquod est equi,  
 aliquod est hominis, aliquod est pa-  
 tris, aliquod mariti, et, in homine a-  
 liquod oculi, aliquod pedis, opus es-  
 se, dicimus. Hic tu forte credis,  
 choreas uenuste ut ducat, facunde de  
 singulis ut differat, subito et praeter  
 expectationem ut respondeat, uersus  
 Martialis commode et suo loco expro-  
 mat, schacchiam, quam dicimus, ut  
 aleam ex arte ludat, conuiuolum le-  
 pore suo condiat, uoces liberiusculas  
 prima ut excipiat, prima intelligat, pri-  
 ma oculis retorqueat, nictet, argute-  
 tur, annuat. Nam haec nostraras Vene-  
 res commendant, neque parum nos,

ut ue-

ut uerum fateamur , oblectarunt o-  
lim, quanquam in hac parte nunquam  
pudicitiae modestiaeque limites egre-  
sus sum. Primum igitur Primeri noster,  
uide, fodes, quam nunc tecum agam  
candide. An tu, quicquam horum, aut  
Gnathaenae , aut Glycerae, aut Phry-  
nae, defuisse, aut Laidi, existimas, qua-  
rum argutiolas non paucas, et uenu-  
sta dipteriola , libro fere integro , re-  
censet Athenaeus? Quae si tu percur-  
ras, metuo, ne tua parum tibi iam  
ingeniosa uideatur. Ut omittam, plu-  
rimas earum literis mirifice , ac pree-  
caeteris, fuisse instructas. Dices, at-  
qui , quaestum corpore fecisse has  
quidem, constat. Hoc est, quod uo-  
lebam. Paucae enim sunt , quae, quid  
non liceat , intelligunt , paucae, quae  
non admodum angusto limite immi-  
nutam et uirginem distinguunt. Ce-  
terum, quocunque aut faciant, aut  
dicant, parum interesse, credunt, nec  
referre putant , quibus moribus sit  
casta. Sunt igitur in ea urbe,in qua  
tu nunc amas, et dotatae plurimae  
et honestissimae , quibus nihil potest  
obiici , nisi , quod fortasse plusculos  
in aedes

in aedes, aliquos in animum, admittunt, quod fit crebra consuetudine et usu, in quibus nihil tam timendum, quam, quod sunt ingeniosae. Quas plerique accedunt, non, ut ament, sed, ut se oblectent. Quis enim non uernilitate ista capitur? Neque sane mirum, homines forenses aliosque, postquam paria cum uitiae muniis fecerunt, quaerere, ubi se oblectent, aut, ut molestiam deponant, non seueras, neque graues, sed argutulas, sectari. Quam uirtutem ideo in uernis magis, quam in liberis, Romani aestimabant. Illae uero, hercules, quantumlibet uersitae, ne hoc quidem uident, non amari se, sed oblectare. Quare sperant semper, et fastidiunt, inque uicem ludunt alios, ab aliis luduntur. Igitur, si interim conditio se offert, et honesta, neque indigna, de qua cogitetur, si praefertim literatus sit atque eruditus, (tua enim res hic agitur) ibi omnes illi, saepe inepti putidine, et, qui literas non norunt, quas oderunt, ideoque grati sunt, p[ro]ae illis, in consilium uocantur, nisi ultro sese ingerant. Similes autem

autem cum similibus facile congre-  
gantur. Solis quippe iis artibus ob-  
strictos puellarum sibi habent animos,  
quas uel, qui procantur ferio, non  
discunt, uel, qui didicerunt, iam ma-  
riti, malunt obliuisci, etiam, si non  
coguntur. Interim labuntur anni,  
perit occasio, discedit formae, quan-  
tum ad aetatem accedit. Alibi plus  
licet. Voces liberae, oscula obscen-  
uscula, colloquia ac nutus oculorum,  
motus impudici, contrectationes pa-  
rum uerecundae, papillarum oppres-  
siunculae, etiam expertuntur, quae,  
spectari hodie se, gaudent, et aman-  
tis oculos laceffunt. Hederam suspen-  
siam, dicas, uinum uenale esse. Gu-  
stus datur. Cetera quid? Inter bonos  
bene agier, oportet. fere promittun-  
tur. Si qua minus sibi fudit, carbafo,  
sed tenuissima, sororiantes leuiter ob-  
ducit, ne restinguat desiderium, sed  
acuat, ut, si fusca cutis expectationi  
non respondeat, uelata amplius pro-  
mittat. Sunt, quae feminalibus, Gal-  
lorum more, utuntur, quae necessi-  
tati, ut soluantur, quoties natura fla-  
gitat, utrinque patent, quod uel con-  
sueto,

F

suetudo, uel patria, uel usus, nonnunquam ualetudo, excusat. Neque sane hoc reprehendo, neque quicquam magis, etiam in aulis usitatui. Sunt, quae penitus, ut nos, braccatae incedunt, atque ita mane, cum e lecto surgunt, aliquot, exemplo nostro, spatia conficiunt, quibus amiculum initiae aut tunicam inducunt, iratae nempe, quod non se quoque mares fecerit natura. Ideoque sexum suum fugiunt ac lugent, uiros imitantur simul et exorbent. Nam, quid ferrum illud dicam, quo honestae etiam utuntur, quod, cum uestem supra aluum ad posteriora pariter extendit, si quid latet illic, facile dissimulat aut celat, et uirginitati lepide patrocinatur? Dignum eo tempore instrumentum, quo dissimulamus crimina, non fugimus. Ne iam de libellis quicquam dicam, quos in sinu gestant, et quotidie alios, atque alios, aut poscunt, aut, si dentur, non recusant. Quibus dum lubido puellaris non ab uno aliquo acceditur aut irritatur, nos, ab uno aliquo restingui posse, existimamus. At plerique etiam festiuitatem hoc, aut

aut iocum, vocant. Quasi uero non  
iocando fieri maiora quoque soleant,  
aut graue sit hoc opus, quo uirgini-  
tas iminuitur. Sed corruptus nimia-  
licentia, aut, quod nunc fit, exemplis  
uitae, muliebris animus, quo praefi-  
dii in ratione minus habet, eo si im-  
pellas, ad lubidinem proclivius ma-  
gisque fertur, cum praesertim ab in-  
genio scintilla, ab educatione adest li-  
bertas, qualis est plerunq. transmarina.  
Hinc querelae coniugales, si suspiciosi  
sint mariti, aut si ab uxoria omissio-  
res cura, primo omnium ingratae,  
mox inuisae, quae per somnum trans-  
figuntur, noctes. Hinc sine causis odia,  
sine occasione simultates. Si quid po-  
stulet maritus, torua ipsa et seuera, ho-  
spes si excipiendus, tristis ac morosa.  
Quae res generosae menti plane into-  
leranda. Ut iam reliqua omittam. Po-  
stremo, nisi palleat vir, quantum uo-  
lunt, aut, si iacuit auersus, ad uicinum  
itur. Sensim enim eo ac per gradus de-  
uenitur. Primo quippe, alienae a ma-  
rito, nihil maius adhuc audent. Cete-  
rum, ubi semel honestatis transiere  
limitem, uel audaciam a successu, uel

F 2

scele-

scelere ipso, si sit manifestum, sumunt confidentiam. At poeta noster optimus ac disertissimus, canoros uersus meditatur, aut secure stertit, uel Tibullum suum et Nasonem cuculus percurrit. Interea

*Speluncam Dido, dux et Troianus, eandem  
Denenunt.*

Nam hoc totos dies audiunt. Ridere autem uitia, et in uitiis rideri, primus ad peccandum gradus et suprema simul seculi licentia est. Nec desipunt, si uerum uolumus fateri, quae, cum, viros aliorum alias ridere probra, sentiunt, maritos ipsae clam elidunt, et hoc agere uidentur, ne benigna illis uel festiuitatis, uel leporum, materies deesse possit. Quae non ab ingenio hic tantum suo, quia rem occulte gerunt, sed et nostro se absolui iudicio, intelligunt. Haec tu uerba esse existimas et uoces? Ego noui aliquot, qui nihil credunt esse uerius, et tacent. Ut de reliquis nunc nihil dicam, quendam genere optimo prognatum, qui, non ita diu est, cum ad plures abiit. Is ergo tersos adeo, Priuari noster, adeo uenustos, addo et

Latini

Latinos, uersiculos scribebat, cum non pauca essent alia, a quibus commendari posset, nihil ut, toto uitae tempore, egisse aliud, aut cogitasse, uideretur. Vocatus autem quodam tempore ad conuiuolum cum esset, euenit, ut puella quoque ibidem esset, mire arguta ac uenusta, myrothecium Veneris, leporum omnium ac elegantiarum effigiem, homo factus ad poesin, dixisset. Vultu autem ita emendato ac festiuo, nihil ut amari ulterius a quoquam posset. Accedebant oculi, dii boni, quales, uoluptate ac illecebra plenissimi, aucupium amoris. Osculum praeterea exiguum, quod uestibulum Cupidinis, Gratiarum pyxidem, tuo more, in carmine uocares. Enim uero, pedem in choreis si quando poneret, praeter ipsam artem, ita lubrice ac agiliter saltare erudita, singula ut membra, non moueri, sed, aut fluere, aut natare, dices. Hic quid faceret, primum adolescens, tum, quod rei caput, poeta, benigna in amorem scilicet, materies et prona? Primo scribere uersiculos, mox et amore eius

deperire, coepit. Quid multa? Ambit, et, post menses aliquos, exorat, homo opulentus quidem satis, sed qui durum atque illepidum in liberos parentem, tum adhuc superstitem, haberet, nouam matrimonii calamitatem. Ceterum, cum et ille aliud plane ageret, illa autem uirum in lecto, non poetam in carmine, desideraret, coepit ei cum uicino quodam, homine uilissimo, sed admodum robusto, belle conuenire. Interim optimus ac ornatissimus uates, Iliada et Vlysseam totos dies cantillabat, aut fortasse Diuae Castitatis Hymnum scribebat. *Tὸν δὲ αἰπαμετομένην* illius coniux, in alterius amplexibus assidue ac diligenter uersabatur.

*Nec misero prodeesse in tali tempore quibat,*  
*quod elegias terfissimas conscriberet,*  
*et uersiculos, Ouidiano more, alter-*  
*nos ( nam religiose id quidem obser-*  
*uauerat) dissyllabis concluderet. No-*  
*&tu autem, quoties ius suum peteret*  
*maritus, illa, ut plurimum, cunctan-*  
*do, et lenonia difficultatis arte, hone-*  
*statem suam, quam prostituebat fo-*  
*ris, apud uirum tuebatur. Quod igna-*  
*uiæ*

uiae illius taedio, non castitatis stu-  
dio, fiebat, quae unius viri in matrona  
cultu ac obsequio censetur. Ille inte-  
rim, si quando cum amicis animum la-  
xaret, cum praesertim aliquantulum  
maderet, de pudore coniugis et casti-  
tate, totos dies peierabat, saepe, ne  
absente quidem illo, qui mensuram  
corporis illius iuxta, ac maritus, co-  
gnitam habebat ac perspectam. Mul-  
ta in hoc iuuene conuenerant, quae  
coniugii serenitatem singula turbare  
poterant. Meditationibus assiduis, ne-  
que dies, neque interdum nox, po-  
nebat finem. Quenadmodum au-  
rus foenori, ita horas omnes et mo-  
menta cogitando, aut scribendo, de-  
stinarat. Iam, incredibilem uigorem  
animi, aetate prima, ad lubidinem ap-  
pulerat, quo hoc consecutus erat, ut  
ex illo pristino ardore, nihil praeter  
uitae coelibis impatientiam haberet  
reliquum. Cetera coniugii praesidia,  
in primis illud maximum, ante ipsum  
iam consumperat. Quae res, opti-  
me Primeri, sicut corpus, ita animum,  
disiungit atque auertit. Itaque in pree-  
senti re cum uersaretur, et iam uiro

F 4

esset

esset opus , continentiam, aut tempe-  
 rantium, plerunque commendabat ,  
 et, ut hoc uxori persuaderet , e Pla-  
 tone suo aliquid , aut Aristotele, de  
 summo bono et intensione mentis, af-  
 ferebat, animo paratus miles, sed quem  
 aliqua, quod fit , quoties lubido annos  
 anteuertit , ac mox deserit, calamitas  
 attigerat. Interdum quoque locum  
 aliquem Pollucis, scilicet , aut Festi,  
 a se emendatum cum gauderet , ne  
 hoc quidem apud coniugem dissimu-  
 lare poterat. Ceterum matrona ue-  
 nustissima, uerum, quae in Aristote-  
 le ac Platone nihil unquam legerat,  
 sed et de acumine et sagacitate criti-  
 corum nihil audiuisse uidebatur, uni-  
 us loci emendationem ferio optabat ,  
 quem corruptum esse et in uitio ia-  
 cere , ne ipse quidem summus criti-  
 cus et optimus poeta ignorabat. Sed,  
 inuita Venere et Minerua, nihil fieri  
 solere , nosti. Prima autem nocte ,  
 cum hilaritati et Lyaeo, patri, indulsis-  
 set plusculum , quod nec ordine, nec  
 recte , a quibusdam fieri , uidemus ,  
 illa autem pro uirginitate, ut puta-  
 bat , et , ut mos est puellarum, ulti-  
 mum

mum certamen cerneret, ibi uates di-  
fertissimus, qui tam saepe Hymen, Hy-  
menae, apud collegas suos legerat,  
aut ipse scripserat, oblitus oris purpu-  
rei, cuius laudes decantauerat, obli-  
tus genarum, quas cum niuibus ac  
minio toties contulerat, ceterorum  
omnium oblitus, quae referre mora-  
est, et adhuc in eius carmine legun-  
tur, nihil quidem se indignum fecit,  
sed dormire coepit, integrumque  
quanta fuit, noctem, bene ac pudice,  
grauis ac molestus nemini, transegit.  
Mane, autem, aut, quia de poeta lo-  
quimur, ubi

*Purpureis formosa genis Aurora ruberet,*  
cum nullius sibi esset conscius facino-  
ris, et ex conscientia inertiae pude-  
ret, audiuisse se, aiebat, cum dolore  
calculi solere eam conflictari, cui o-  
mnes agitationes corporis in primis  
esse aduersas. Id ex uiro docto, Coo  
Hippocrate, se didicisse. Ea re com-  
motum se, aduersus animi lubidinem,  
abstinuisse illa, quippe qui illius uale-  
tudini consultum uellet. Atque ita  
summus uir, neque contemnendus  
Themidis sacerdos, praecipua duo iu-

ris praecepta, una nocte expresserat.  
 Nam et uixerat honeste, neque quen-  
 quam laeserat, suum autem cuique  
 an reddidisset, quaeri poterat. Muti-  
 us, ut reor, et Trebatius negassent.  
 Idem autem et uxori eius videbatur.  
 Quae, pertaesa tandem huius consue-  
 tudinis ac uitae, domi eruditas, alibi  
 festiuas, noctes agitabat, poetas au-  
 tem omnes oderat aut toruo intue-  
 batur uultu,

*Vnius ob noxam et furias Aiacis Oilei,*  
 me quoque, inter eos, quoties ad ui-  
 rum eius uentitarem, quasi uitium in-  
 carmine, non autem potius in uiro,  
 esset. Ad Martialem quod attinet,  
 scriptor tersus, elegans, uenustus et  
 acutus, est. Quae in eo autem spur-  
 ca sunt, improbitate et flagitio, utili-  
 tatem, quae e reliquis percipitur, ex-  
 cedunt. E quibus quaedam, sine abo-  
 minatione et horrore, ab honesto ui-  
 ro legi non posse, iudico. Tantum  
 abest, ut, in seminarum manibus,  
 absque detrimento pudicitiae, uersa-  
 ri posse, existimem. Ne iam dicam,  
 parum esse in eo, quod ad proprium  
 matronae munus faciat. Id enim a  
 poesi,

poesi , nisi fallor , quam longissime  
 recedit. Adeo , ut ne Sapphonem  
 quidem , quamuis eius , qui de multis  
 pauci hodie uerisculi leguntur , ipsum  
 nobis suauitate sua animum excuti-  
 ant , si iam supersit , ambiendam no-  
 bis , credam. Nam Phaonem , aut , si  
 uiri nulli essent , uel Sicelidas , uel Le-  
 sbidas , timerem. Hoc ingenio profe-  
 cit quippe , ut nequitiae illius sexus no-  
 ster non sufficeret. Timerem autem ,  
 ne , si meram poetriam duxisse , et  
 iam prandendi nobis ac coenandi uer-  
 sus essent , aut , ne liberi communes  
 immundicie perirent , aut poetae pot-  
 tius , quam boniciues , educatione aut  
 imitatione matris , fierent. Quae pro-  
 fecto , re et usu , distinguenda sunt in  
 uita. Pauci autem oppido ex iis sunt ,  
 quos Musae totos uindicant , qui lu-  
 dibrium non debent , cum a libris ab-  
 sunt , ne tu aliud a femina expectes.  
 Quare , ut Aristoteles , alias in seruo ,  
 alias in domino , alias in femina , re-  
 quirit uirtutes , ita mihi alia amica , a-  
 lia placeat coniux. At poetae , post-  
 quam in Propertio Cynthiam , in Ti-  
 bullo Deliam , legerunt , aut Neme-  
 fin

fin, quas prostituisse formam, con-  
fitentur etiam, qui laudant, easdem  
carmini et uitae suae conuenire, arbi-  
trantur. Dignissimi mortales, qui  
tam castas habeant uxores, atque eo-  
rum, quos sequuntur, dominae fue-  
runt. Itaque non raro euenire so-  
let, ut, quo quisque est eruditior, eo  
magis sub imperio uxoris uiuat. Ne-  
que mirum. Nam, quemadmodum  
Lacaenae, quod est apud Aristotelem,  
dum in castris degerent mariti, ius  
eorum et autoritatem sibi vindica-  
rant, ita ista, uiris aliud agentibus,  
hoc est, absentibus, familiae imperium  
inuadunt. An tu autem domi esse, cen-  
ses, qui nunc in Homero, nunc in Sene-  
ca, aut in Platone (noui enim, qui  
sic uiuunt) semper habent animum ac  
mentem, qui nunc Romae, nunc Athe-  
nis, aut, si ad recentiora animum dimit-  
tunt, in Britannia, aut Gallia, aut In-  
dia, uagantur, aut si nihil legunt, tamen  
in Parnasso aliquo aut Helicone aber-  
rant, et praesentes etiam plerunque  
absunt?

*Qui mibi, ubi ad uxores uentum est,  
tum fiunt senes.*

Vnde fastidium primo, mox contem-  
ptus,

ptus , si praesertim sint dotatae , aut  
 liberius educatae , quales uos ut plurimi-  
 mum sectamini . Ita saepe euenit , ue-  
 niste noster , ut , dum isti uestri , fa-  
 pientes sane ac eruditii uiri , infreque-  
 ntes sunt ad signa , illae quoque , neque  
 inelegantes , neque inficetae , alibi sti-  
 pendia clam faciant , uosque , publica  
 et ubique nota nomina , ne priuatas  
 quidem , saepè uxores habeatis , aut ,  
 si sint honestae , etiam amarae sint et  
 uiro graues . Neque sine causa .  
 Vos enim nihil , praeter numeros  
 et pedes , cogitatis , illae autem  
 pessimae , in lecto pedem tolli , uo-  
 lunt . Quare , ut festiuæ et improvi-  
 de amatis , ita saepe uxorem ducitis ,  
 cum nihil magis serio agendum , quam  
 quod postea mutari nequit . Ergo , u-  
 bi semel iugum boni uiri , tanquam  
 asini aut boues , subiustis , culpam ipsi  
 uestram , sed , cum emendari iam non  
 potest , miseri agnoscitis , ideoque  
 quicquid committitur ab illis , tolera-  
 tis , tam ridiculi mariti , quam faceti  
 amantes . Nempe , quia placido in-  
 genio ac miti estis , et , praesertim , si  
 quis adsit , rixæ fugitantes . Obstat  
 enim

enim pudor, qui in illis iam decoxit.  
 Praeterea acceptam ac possessam semel uim imperii, non armis, sed peruersitate muliebri, quod est multo efficacius, tuentur. Quae cum semel iam uirilibus intendere negotiis coeperunt, quod a uobis negligantur, animo feroce, sensim seminarum exuent uirtutem, quae est uiri reuerentia. Vos autem, alia dum agitis, prius periisse eam, quam perire uobis, animum aduertitis. Quomodo et saepe in republica imperium mutatur. Hoc est grande arcanum illud, quod interdum ἐν τροπαγωγής, interdum στόχῳ μηδέν, ab Aristotele, in Politicis, uocari, non ignoras. In familia autem, quod de ciuitate, dixit idem. Nihil refert, utrum imperent matronae, an, qui imperare debent, mulieri pareant. Vides causam, quare minus commodis uxoribus utantur eruditii, aut, cur seruant. Nam, ut, in republica, industria imperium seruatur, ita negligentia amittitur. Eodem autem modo hic. Negligentiam nunc uoco, non, quae nihil agit, sed, quae aliud aut cogitat, aut curat. Quare saepe

Saepe miror, reges quosdam impo-  
 tentes, aut tyrannos, literarum usu  
 interdixisse suis, ne imperium inua-  
 derent, ut Iulianus ille, qui hoc alibi  
 in Aristotele obseruarat. Ego sane, rex  
 si essem aut tyrannus, clam optarem,  
 ut poetae omnes, philosophi, aut o-  
 ratores, essent, aut in legibus, aut a-  
 stris, animum haberent. Nam et ani-  
 mum eneruant illa, si sint nimia, et  
 occupant, nec facile dimitunt. Frau-  
 dem praeterea nec cogitant bea-  
 ti illi, nec intelligunt, et facilime im-  
 perium tum ferunt, tum admittunt,  
 nisi, qui cum modo, et ad usum, illa  
 didicerunt, aut, qui nati ad imperi-  
 um, aut generoso supra ceteros sunt  
 animo. Nam, ad libertatem quosdam,  
 alios ad seruitutem, nasci, certum est,  
 de quibus Aristoteles. Reliqui, ut  
 minime ambitiosi, ita honestissimi, ut  
 plurimum, sunt viri, qui opinione sua  
 sese et studiis oblectant, ideoque nus-  
 quam pictum, aut fictum, aut scri-  
 ptum, in historia inuenies, virum cui-  
 quam eruditum, regnum, aut impe-  
 riuum, eripuisse. Multa quoque inter  
 Stoicorum regem et Iberiae inter-  
 sunt.

sunt. Contra uero nostri, ne in famulos plerunque quidem, aut ancillas, inhibere imperium, ut par est, didicerunt, quod, non minus, quam a coniuge, extorqueri sibi, patiuntur. Mihi ergo matronale prius in puella placeat ingenium, ut in matrona mox probetur. Ac optarim quidem hilarem (non enim nego) ac festiuam, potius, quam grauem ac seueram, ut nimirum habeat mens nostra, cum ad se redit, ubi se oblectet. Sed, si illa uirum deditur eruditum, proba saltem ueniat ac casta. Quae si ante nuptias in matris gremio, non multis nota, honestissime educata est, postquam autem in amplexus uiri, bono cum parentum omine, transiuit, rem quemadmodum oportet, domesticam tuetur, domi saepius, quam alibi, conspicitur (frons enim domini, quam occipitium, familiae plus prodest) marito morem gerit, et, quoque satis, est pudica, etiam delectat, liberos cum cura educat, ancillis imperat, culinae praeest, in mensa autem uultum ante omnia lubentem ac serenum, tum uero fercula, quae cura

cura ac mundities commendat potius,  
 quam apparatus, cum iudicio apponit,  
 si quid minus uerecundum (nam his  
 moribus nunc uiuitur) ab hospite ef-  
 fertur, aure neque prona id excipit,  
 et facilius plerunque erubescit, quam  
 respondet. De ingenio, Primeri no-  
 ster, et hilaritate ista, gratiam lubenter  
 faciam, et hanc laudem huic homini  
 seruabo, illi autem obsequendi glori-  
 am relinquam. Quantumcunque  
 enim uel prudentiae in nobis, uel in-  
 genii, utriusque satis sit, oportet, quem  
 ad modum, in regno, cura regis ac  
 prudentia sufficiat, necesse est. Vxo-  
 ris enim, teste maximo philosopho-  
 rum, uirtus, ut quam optime de uiro  
 sentiat, cui cetera relinquat, ac pru-  
 dentiam in primis, quae est uirtus  
 imperantis. Maritus autem eius sem-  
 per respicit utilitatem, cui imperat,  
 quemadmodum et pater. Eius enim  
 causa imperat ac praeeft, sicut contra  
 herus, non seruorum proprie, sed  
 sua. Memoriam ingentem quoque  
 illam, atque inusitatam, non magnopere  
 requiram, nec nomenclatorem  
 quaero, sed uxorem, de cuius agitur

G

nunc

nunc bono. Suum enim cuique est, quod laudabile unum quemque reddit. Viri virum, serui seruum, feminae feminam, cuius primum temperantia, quae per se in femina spectatur, et ad feminam refertur, sicut cetera ad eum, in quo sunt perfecta. Memoria autem et ingenium, perfecta sunt in viro. Id enim eius actiones poscunt, quae sine illis perfici non possunt. Tales autem raro feminae incumbunt, et in iis satis est, maritum si sequatur. Neque enim imperat, sed paret. Non, ut serui (ne dii sierint) uerum suo quodam modo, sicut quodam modo filii parentibus. In quibus eadem cum requirantur, tamen, mediocria sufficere, putamus, ut monentes, nempe, intelligant, non, ut monendo praeeant, aut aliquid praescribant. In matrona autem, nisi temperantia sit absoluta, tantum illi deerit, quantum huic deerit uirtuti. Quod profecto dici de ingenio non potest, nisi prius, quale esse debeat matronae, doceas definiasque. Haec tu philosophica fortasse dices, et sint sane, non poetica sunt certe, sunt enim uera

uera. Eadem in uestris tamen quoque inuenies. Nam quis ante eos sapientiam tractauit? Vide Euripidem, quem feminis fuisse infensum, uolunt, magnum in his talibus censorem. Vide, quae Andromache, in Fabula cognomine. Quantum est Musarum usquam, omnes oderint nos, quantum uolent, nisi amem eam, ac prope modum depeream, nisi Hectori conditionem suam ter millesimo post anno gratuler. Ita paucis uerbis matronale ingenium expressit. Vide, quid et, apud ipsum cothurni principem, Teemessae Telamonis ille filius praescribat, non, ut lepide loquatur, sed, ut multum tačeat. Dices, seruisse hanc quidem. Atqui in libera hoc probat Aristoteles, qui uirtutem primam feminae, non sine causa, uocat. Cuius proprium si quaeris opus ac ingenium, uersiculos, mi homo, aliquantum tuos, suaves quidem illos ac ue nustos, sed ab instituto isto nimis alienos, aliquantulum e manibus deponit, mox, si lubet, resumpturus, dum quae Perictione et Phyntis, Pythagoricae matronae, hanc in rem scripse-

runt, diligenter legeris. Moriar, ni magnas illas feminas continuo amabis. Quae non, ut puellae nostrae, balbum quidet peregrinum, sed, quem admodum nouisse te, existimo, graui, hoc est, Dorico ac sibi proprio, sermone, loquebantur, quo et sua conscripserunt. Vide et, apud Xenophonem nostrum, Socratem, quid dicat, de familia cum agit. At, ingeniosam inquies, amplecti malo, et haec maior est uoluptas. Fortasse. Neque enim ita ex amoenitate exarui, ut negem omnia. Sed quantilla haec uoluptas! Quam ~~επονληγιν μηνην~~ Democritus dicebat. Verum uos, aetate illa prima, miras fingitis imagines.

*Forfstan et sylvas illic lucosque Deorum  
Concipias animo, simulachraque ditia donis,*

*Esse.*

Adde, quod e cella aut suburra aliquam in ea arte magis eruditam dabo, cuius nihil, praeter ignorantiam, in uirgine laudatur, et, ni fallor, et iam simplicitas delectat. Ita enim illi uestri, nuptialia cum scribant, et congressum illum primum, diis atque hominibus

minibus inuidiosum faciunt. Cogita  
enim mihi innocentiam illam, quae,  
e matris lectulo et complexibus ad  
uirum cum transit, diuersum aliquid  
ab eo suspicatur porius, quam nouit.  
Cogita lacrymulas illas, quas, ut ue-  
nustissimus poeta loquitur, certatim  
thalami intra limina fundunt, Quae  
sive sunt uerae, gratissimam simpli-  
citatem arguunt, sive matrum gau-  
dia, ut ille loqui amat, frustran-  
tur, mariti quoque amorem uehe-  
menter acuunt. Cogita iam tenerum  
ruborem illum, pudicitiae fideiuſſo-  
rem, qui ad nomen nuptiarum una  
cum lachrymulis subinde, inuito quo-  
que uultu, prorumpit, et integritatem  
animi non tam testatur, quam fate-  
tur, et id genus alia, quae uestri me-  
lius. Satis enim est, si talia esse intel-  
ligas non nulla, quae hoc seculo, quo  
ignorantur, ipsum adhuc carmen  
commendant, tum diuersa esse, quae  
amatis, et ignari extollitis. Da mihi  
enim aliquam ex ipsis, quas festiuas,  
aut ingeniosas, uos uocatis, quae eo-  
dem uultu alienas spectat nuptias et  
suas, thalamum cum riuſu petit, matri

G 3 blan-

blandum illud et supremum uale, le-  
pide ac argute, dicit, totum uobis, o,  
poetae mei, illud artificium perierit.  
Quod ne quando fiat, mentiri etiam  
soletis. Obseruasti denique unquam,  
quam diuersa ratione Lefbiam illam  
suam, et Torquati sponsam, descripse-  
rit Catullus tuus? Quarum altera, mu-  
lier ingeniosa, nosti, in triuis et an-  
giportis quid faciat. Nam, nec me-  
minisse, est honestum. Altera, quo  
ingenio memoriaque, nihil refert (ne-  
que constat sane) uni uiro destinata,  
eo frustra expectante, moras necit,  
trepidat, cunctatur, thalamum for-  
midat, postremo,

*Flet, quod ire necesse sit,*  
*et,*

*Tardat ingenuus pudor,*  
et similia non nulla, quae mirifice nos  
capiunt. Diu est enim, cum purissi-  
mum poetam illum et Romanae lin-  
guae optimum autorem studiose le-  
gi. Sed, ut cetera omittam, scin tu, a-  
matorum, quantum uiuit usquam, le-  
pidissime, aduenturum illud tempus,  
cum, ut coniugem, mox etiam, ut  
matrem, quam festiuē deperis, ama-  
re in-

re incipies , cum intelliges , uxorem  
 esse dignitatis nomen potius , quam  
 uoluptatis , cum ex utero , Primeri ,  
 illo , qui tot ineptissimarum cogitatio-  
 num , quamdiu amas , scopus esse so-  
 let , festiuissimum heredem , tanquam  
 e perula , de promet tibi ? in quo ma-  
 tris pudicitiam , patris ingenium ac  
 uultum , maxima cum uoluptate a-  
 gnosces ? Siquidem hoc ipsum , patri  
 ut sit similis , a materna castitate , non  
 ab ingenio , est expectandum . Scin ,  
 futurum illud tempus , cum papillas  
 geminas , gemellas illas , quas nunc or-  
 bes gemmeos , nunc suauissimos col-  
 liculos , et , si ita uideatur , naeuulos  
 ( quid enim non audetis Galli ) in car-  
 minibus uocare soles , non in uolupta-  
 tem tuam , sed domesticam necessita-  
 tem , nudabit , cum sanctissimum il-  
 lum fontem , hominis educatorem ,  
 qui concretus e paterno primum se-  
 mine , e materno mox et animo , et  
 corpore , decurrens , ex utroque mul-  
 tum trahit , ad tuorum alimoniam  
 conferre incipiet , et , qualis est ipsa ,  
 talem Primerolum formabit nobis .

**N**e tu , frustra quicquam factum a  
 natu-

natura, putes, quae diu, antequam philosophus extaret aut poeta, hominem produxerat. Postremum est, Qua ratione amandum tibi censem. Quod cum risu, ut superiora, legi. Serum quippe est, si amas. Neque enim magis, quomodo amandum sit, intelliget, qui amat, quam, quo sit eundum, qui iam usum oculorum amplius non habet. Sed nec illud petitis, quibus artibus conciliandae sint puellae. Nam hoc Naso melius docebit. Nulla enim hic philosophia opus, sed prudentia. Totum enim ex ingenio illius pendet, quam iam elegisti. Quae si talis, mi Primeri, est, qualem esse, et tuis coniecturam feci, et ex aliis audiui, habes equidem, quod agas, etiam si nullos, homo festiuissime, uersiculos conscribas. Plane enim non tu quidem in Charybdi, sed suauissima Sirene, hactenus laboras, quippe, ut Homericæ, Vlyfsem protinus aduenientem, et πολυαισθετον, et μεγα κυδον αχαιων, compellant, ita ista, ignem tuum si exponas, et, beatam esse se honore tanto, et, si uoles, etiam indignam, protinus fatebitur.

tur. Quid ni enim, uiro tali, tam eximio poeta? Tum, si quicquam tibi detrahas, ascribas illi, uniuersum feminarum sexum, tanti esse, quanti uos putatis, callide negabit. Id impone plerunque uobis, illis autem ratione plusculum accedere animi. Iam, ut aliquod ingenii argumentum fuerit quaerendum tibi (scire enim se, cessare uos non magis posse, quam hoc coelum, a quo ducitis originem) alias sane esse, quae non paullo plus merentur. Se quoque, qualisunque sit tandem, parum interesse, quin iam melius sentire de se ipsa incipiat, non tam suis sibi meritis, quam, quod uiro non displiceat, qui tantis, ac tam multis, placet. Hic, si te sat noui, aegre temperabis tibi, quin epigrammatum effundas, et fortasse hoc ipsum uel candorem, uel modestiam, uocabis. Interdum enim stulte ineptimus. Hoc regina, ut sereno amoenoque multu, ita cupidissimo admettet animo. Quin, si praemium, basiolum, efflagites, id illa reluctando paullum, mox proditione sua sibi sensim expugnata, oculis natantibus, at-

G;

que

que in ipso prope amplexu liqueſcen-  
tibus, concedet tandem. Hinc iam  
prima mali labes. Habet, tenetur  
poeta noster, captus est.

*Interea Libyae magnas it fama per ur-  
bes,*

aduenisse doctum, nescio quem, ho-  
minem,

*Cui se pulchra uiro dignetur iungere  
Dido,*

idque, non nolente illa. Ea enim ra-  
tione omnium iudicia aucupatur. Er-  
go,

*Heu uatum ignarae mentes !*

Primo omnium conueniunt proceres,  
delicata ac fastidiosa natio, qui, ut in  
antiquo est carmine, praeter propter  
uitam, non in ipsa, uiuunt, et, agen-  
do nihil admodum defatigati, a ru-  
musculis queiscunque otii uindictam  
simul, ac solatium, cum malo tuo,  
petunt. Ibi in uiuendi rationem, in  
ingenium, in studia, miserrimi aman-  
tis accurate inquiritur. Nam amicis,  
aut propinquis, nulla fides, nullus hic  
locus est. Symbolam quisque pro  
se affert, quisque sententiam exponit.  
Inter quos larbas saepe unus est aut  
alter,

alter, cuius in animo repulsarum ci-  
tatrices adhuc manent, qui, in primis  
sua interesse, arbitratur, idem tibi ut  
eueniat. Et hoc totum nunc agitur.  
*Confedere duces.* Post hos aduocan-  
tur patres conscripti, quibus, infra  
umbilicum et supremum femur, o-  
mnia deducta sunt ac plana, insolentes  
ac dicaculae puellae. E quibus  
quaedam nihil, praeter cristas, so-  
mniant, ac galeas, et, in tanta pacis  
spe, ferrum tamen amant, cuius ad  
mensuram noctis gaudia disponunt.  
Quaedam forma corporis ac modo  
amatores inter se contendunt, neque  
eos aestimant, sed metiuntur, cete-  
rum, quo quique specie inanium plus  
ualet, eo magis antefertur. Non nul-  
lae fasces ac secures, meras denique  
res publicas, loquuntur. Quaedam  
fratrem habent aut affinem, quem  
praelatum tibi, mallent.

*Omnes, hæc metuunt uersus, odere poetam.*

Quid expectas? Narro tibi. ipsæ, si  
dis placet, literæ periclitantur, quā-  
rum e suffragiis senatus populique  
tunicati tota dignitas iam pendet. A-  
lli

Hi philosophum, alii poetam, tardum  
 aliū, aut taciturnum, dicunt. Erunt  
 et, qui peregrinum dicent, homines,  
 qui, ubi nati sint, non refert, cum, si  
 nati nondum essent, ne id quidem a-  
 liquid referret. iuxta enim ignoran-  
 tur. Et hi tamen de doctorum capi-  
 te comitia nunc habent. Si qua ui-  
 tae tuae aut fortunae labes haeret, si  
 qua genii infelicitas aut formae, ea  
 quoque uentilatur et paullatim in a-  
 pricum producitur. Postremo, si non  
 tuis, omnium eruditorum moribus  
 urgeris ac calamitatibus, et haec tua  
 fiunt. Multorum enim interest, ut  
 talis habearis. Quae tamen leuiora  
 sunt, quam assidue calumniae, quas  
 aliae libenter fingunt, aliae libenter  
 credunt. Denique, vir eruditus et  
 clarissimus, ut uestri uocant, paries  
 es factus, quem caniculae commin-  
 gant, pueri et artium tirunculi, in-  
 compotationibus et circulis, loquan-  
 tur. Omnes enim de successu iudi-  
 cant, qui cetera nec capiunt, nec ae-  
 stimant. Nam, si aliud expectas, ue-  
 hementer erras. Tu interea quid?  
 Homo

Homo literatus inter scapham et Neptunum haeret. Inuenisti Parcam, quae tuorum tibi seriem fatorum ordinet, quorum sane ordo, non iam in deorum, ut Homerus loqui solet, sed in puellarum genibus, uersatur. Quid ergo? Obambulas, et uersus facis, quos Dione tua scilicet, cantillet et circumferat, aut in aurem Philematio, aut Glyceriolo, susurret. Nam, si, pluris ea fieri existimas, haud parum erras. Nulla est enim e festiuis illis, quae non carmen malit optimi poetae, quam fortunas eius, de quibus non immerito non nunquam male sentiunt. Nam, quis usus, aiunt, uiri eruditus esse potest, quem, ut statuam, plerique admirantur aut commendant, uxorem autem nemo respicit aut curat? Esse angustum iis prunque stipendiolum, quo cum uitam ipsi uix sustentent, superesse, ut ex asse in paupertatem liberi succedant. Interea si minus impetas, quod peccatis, uersus tui ad maritum transiunt cum dote, ut ad tuos numeros, uidelicet, speratam tuam amplectantur. Itaque, ut citharoedi et tibicines  
in a-

in aliorum nuptiis plerunque canunt,  
 ita eae, quas uos celebratis festiuissime,  
 aliis non raro cedunt, uobis autem  
 cantum et lachrymas relinquunt.  
 Interim dies ducitur ex die, strenue  
 itur ac redditur, quippe, plusculum, si  
 urges, ibi uero, formae suae et amo-  
 ris tui conscientia, hoc monstrum, modo  
 metu, modo spe, miserum ludifica-  
 tur, et extrema semper metuentem.  
 Nam, si de discessu uerbulum, illa  
 contra, dieteriolum, aut alterum de  
 melioribus, aspergit, quibus condic-  
 mentum illud admirabile, ab oculis  
 et gestibus, accedit,

*Quod misero cordi affixum uiuescit, ut  
 ignis.*

Ergo interim aut illicit cupidum, aut,  
 captum iam, illecebris producit, ne-  
 que sine magna temporis iactura tem-  
 pus extrahit, aut, si, satis firmiter te-  
 neri, credit, ad superbiam conuertit  
 animum. Hactenus, ut uinctum non  
 dimittat. *Qua in re usitata formula*  
*est, placere te quidem, sed ad matri-*  
*monium non posse adhuc animum*  
*appellere. Semper enim alias con-*  
*ditiones uidet, quae si offerantur, tu-*  
*is am-*

is amplius historiis nec partes sint,  
nec locus, ac ne uersibus quidem,  
quos interea percurrit. Quid enim  
minus potest? Maius autem, quo se  
occupet, non habet. Interea non de-  
bet illi, a quo colitur cum cura, et  
quem populo ostendat. Iis, qui be-  
ne eruditioni uolunt, ipsam quoque  
ut aestiment, ceteris, ut clam illudant,  
et, illudi tibi, uideant. Nam haec il-  
lis maxima uoluptas, cum praefer-  
rum inter suas regnant. Inter haec  
(arcana quippe imperii propemodum  
intelligis) in primis caues, ne calami-  
ratem aliis exponastuam. Quid enim?  
Nonne in theatrum hoc uenisti? Nonne  
hoc intrasti ipse? Nonne uni tibi  
exedendum est? Et quid agas? Suc-  
censeas nimirum. Quis? Amator,  
hoc est, publice stultitiam professus.  
Cui? Puellae, quam eodem tempore,  
si irascare, amplecti tamen malis. Ad-  
de, quod uidetur esse uiri, muliebres  
ferre iniurias potissimum, honesti  
autem, uitia dissimulare, et praeci-  
pue, quae profundunt nobis, etiam, cum  
subito mutantur. Nullum enim, nisi  
in prudentia, ac probitate nostra, in-  
uolu-

nolucrum habet iste sexus , tum , qui  
 beneficium , cum famae detimento  
 clam collatum , aut fauorem nimium ,  
 uel comitatem , dominæ , celare ne-  
 quit , ut ingratum , ut constantem pa-  
 rum futilemque , aut leuem , odimus .  
 Omnes quippe infirmioribus faue-  
 mus , cum præsertim melius , uindicta  
 tempori ac Deo committatur . Nun-  
 quam enim laudi aut impune cui-  
 quam fuit , virum , qui honeste am-  
 bit , nequiter circumduxisse . Nam ,  
 si nihil aliud , honoris sui semper fa-  
 ciunt iacturam , quae de alieno lu-  
 dunt . Ut uix magis improbentur ,  
 quae de flore suo largiuntur . Nemo  
 autem ita prudens , ita bene subducta  
 ad uitam ratione , unquam fuit , cui  
 non imponi ista ratione possit . Ideo  
 cordati et boni , illam odio , iuuenem  
 commiseratione , dignum iudicant ,  
 aut uenia . Vere enim illud hic usur-  
 patur ,

*Cuius potest accidere , quod cuiquam  
 potest.*

Interim , si festiu es ingenii et ridere  
 alios plerunque soles , metuis , ne , i-  
 dem uicissim eueniat nunc tibi . Ne-  
 que

que raro cogitas interea, quanto me-  
liora reliqueris, quam tibi bene domi  
olim, cum clarissimis doctissimisque  
uiris, L. Annaeo Seneca, Plutarcho,  
Cicerone, aliisque, conueniret. A qui-  
bus, nihil ut ageres, diuortium fecisti.  
Ut omittam nunc, quam multa tibi,  
praeter morem consuetudinemque,  
sint agenda, vicini prehensandi et  
amici, obsidenda fores, salutandi plu-  
res, omnes metuendi. Cogitandum,  
quid ancillae, quid pueri, abiente te,  
suggillent. Noctes insomnes tradu-  
cendae, literis et sanctis meditationi-  
bus renuntiandum, saepe gemendum,  
non nunquam clam illachrymandum  
sorti ac conditioni tuae. Videndum ac  
cura expendendum, quae uestis, qui  
cultus, potissimum te deceat, in primis  
autem, quid iam usu sit receptum. V-  
trum latus barbae, quod ad orientem  
spectat, rete conueniat cum eo, quod  
in occidentem tendit. Sartore accu-  
rato et tonsore utendum est. Danda est  
opera, ne pallium ab interiore habitu,  
tanquam in ciuili bello, dissideat, aut  
aequo sit prolixus, ne calcei, praeter  
aequum ac bonum, caligarum termi-

H

nos

nos inuadant, aut altius assurgant, ut peris celides intra praescriptum se con-  
tineant spatium, ne, *Vti possidetis*, in-  
terdicat praetor. Incedendum cum cu-  
ra, cum cura edendum ac bibendum,  
cum cura insaniendum est. Denique,

*Muliebres mores descendendi, obliniscendi fra-  
tio nici.*

Si quem uides virum grauem, et quem  
aestimare soles, tacito pudore, si quem  
inimicum, ira ac indignatione, emoria-  
ris, necesse est. In hoc statu, mi Prime-  
ri, si restuae sunt, et in isto pelago ia-  
ctaris, homo minime scelestus, sed po-  
etica simplicitate uitam solitus transi-  
gere, id coque humanarum imperitus  
fraudum, quales plerunque estis, qui  
ab hominum studio descendendi semper  
aliquid, remoti oculis tenemini, quae-  
ris, quidnam faciendum tibi censem?   
Primo, si amorem admisisti, actum  
est. Mala enim merx est. Proximum  
est ergo, ut esurias, quod in his con-  
ducere, arbitrantur Graeci. Neque  
parum tane abstinentia hic potest. Se-  
cundum est, ut moram temporis op-  
ponas.

ponas. Tertium, ut locum mutes  
 (nam, et hoc prodesse, aiunt) et cum  
 loco pariter amorem, si potes. Non  
 enim quartum addam, de laqueo ut  
 cogites, ut quod absque uitae detri-  
 mento fieri non posse, existimem.  
 Sin, missis ambagibus, tecum me se-  
 rious agere, sic agam. Vintu, optime  
 Primeri, rationi, quam fortunae, po-  
 tius amores tuos credere? Vis de te,  
 uis de sana mente, aliquando cogita-  
 re? Adeo redisse res tuas, ut potissi-  
 mum illius te amore maceres, quae  
 despectum te habet, eludendum  
 autem aliis propinat? Nescire te, e-  
 gregiae existimationis uirum, uniuersum  
 feminarum sexum tanti non es-  
 se, ut tu omnibus ludibrium debeas!  
 Ne id quidem cogitare te, famam fru-  
 stra te doctrina peperisse, si uiuendo  
 nullam eius curam habes, frustra e-  
 ruditum esse, si receptam populi opini-  
 onem re ac factis astruis, ne com-  
 munem quidem sensum eruditis esse.  
 Si, aetati dare ludum, placet, quae  
 honestior uoluptas petitur, quam  
 coniugio? Hoc si displicet quare in  
 re seria nugari lubet? Quare Catul-  
 lus et

lus et Tibullus, et amandi artifex,  
 Ouidius, assidue in manibus uersantur  
 tibi, Plato autem, Xenophon et Epi-  
 cetus, ne tractantur quidem, quo-  
 rum tamen scriptis nullum efficacius,  
 ad tolerandas res aduersas, remedi-  
 um inuenies? Et, quia ad seueran-  
 Stoicorum sectam ablegare te uix au-  
 deo, quae uirit tantum et incidit uil-  
 nera, nouerca perturbationum poti-  
 us, quam emendatrix, agendum, Pla-  
 tonem tuum inspice, suauissimum ac  
 iucundissimum scriptorem, et, qui ni-  
 hil uenuistati poetarum ac amoenitati  
 debet, ne quid dicam amplius. Is tibi  
 dicet, Nihil aliud amorem esse, quam  
 opinionem boni, ut, si lippus plum-  
 bum uideat, hoc autem plumbum es-  
 se aurum, credat. Interim hoc amet,  
 eius torqueatur desiderio, dies totos,  
 totas noctes, sese maceret, si absit, lau-  
 des denique eius celebret ac canat.  
 Nunc ex Euripide exclamat,

οὐ, χρυσὲ, δεξιῶμα καλλιέργον έροτοῖς.  
 Nunc ex tuo Pindaro,

οὐ δέ  
 Σπύρος, αἰθίουενον πῦρ

τοιε διαπέπει νυ-  
κτὶ, μεγάνος θέξοχα πλάτη.

Interdum uersus ipse scribat, in quibus omnia commemoret, quae auro comparari solent, eum, qui hoc habet, obseruet, colat, sectetur, totos dies oculos in eum pariter, et animum, coniiciat, interim de medico non cogitet. Ita tecum, mi Primeri, nunc, ni fallor, agitur, huic similimus est morbus tuus. Nam, nec pulchra omnibus uidentur, quae uidentur tibi, nec exactum satis est, in bonis an habenda sint, quae bona tibi nunc uidentur. Nisi forte credi mauis tibi, esse quendam puerum, cui puerο Vulcanus pater, mater sit Venus. Hunc cum face et sagittis miras res gerere, quemque attigit, ut Comici loquuntur, solido mactare infortunio, qui, ut tu canis,

*E dominae sacros accedit uultibus ignes,*

*Et flammam geminis suscitat ex oculis,*

*Ut quondam Titana ferunt, immanibus austis,*

*Aeterno flamas surripuisse Ioui.*

Aut, si audire illa mauis. ualde enim sunt delicata.

*Oscula cum indulxit roseo miki Margaris ore,*

*Et trahit ad se intus transfiguentem animam,*

Tum loquor, si quid animae superest mihi  
diui,

Atque ipsum pulchrae impendite me do-  
mina.

Nisi, quod ab illis superantur,  
Cum dominam aspexit, clypeum abiicit, et  
procul imos

Infelix mi animus effugit in digitos.

O, diui, fugituo illi latebram date tutam,  
Hostili in gremio sic fugiat dominum.

Hisne, tu, uersiculis dolores mitigari  
posse, credis, quos in se se amor ha-  
bet, et molestias? Hisne, tu, puellas,  
quibus ipsa fordet eruditio, moueri  
posse, credis? Quin, si uir es, sapere  
audes aliquando, ac te ignominiae  
subducis? Quin das aliquando ope-  
ram, ac serio hoc agis, ut uxoreculam  
modestam, liberos suauissimos simi-  
limosque tui, uitam, non incertam,  
sed compositam, amice tibi gratule-  
mur? Denique, si me, srite, si existi-  
mationem tuam,amas, aut puellam  
ama, qualem tibi coniugem optares,  
non procacem, non alternam animi  
et uagam, sed, quae pretium amoris  
tuo ponat, aut constanti animo, ac  
ad exemplum, si uidetur, meum, pro  
uxore, semel sapientiam amplectere.

Sin

Sin res adhuc integra est, et uacas,  
 aut tibi sum ante omnia, ut serio ne-  
 ames, aut, si id non potes ( noui e-  
 nim, quo ingenio poetae sitis ) ut id  
 serio dissimules, donec penitus per-  
 spectam eius indolem atque explora-  
 tam habes. Ita simul, in celando, ad  
 effectum spem habebis, neque, si res  
 aliter succedit, fabula cuiusquam eris.  
 Interim conductet, plures tempore e-  
 odem ut accedas, ne, haerere usquam  
 te, aut alii intelligant, aut ipsa, et, si  
 sapis, loco quoque et genere superi-  
 ores. Hactenus enim, ut ubique ad-  
 mittamur, literae non nihil possunt,  
 quas non nulli aestimant, non nullios  
 pudet, non uideri. Ad ipsam ubi ueni-  
 es, operam in primis dabis, ut quam  
 simplicissimum te illi exhibeas. Ta-  
 les enim omnes eruditi facile credun-  
 tur. Qui uidentur autem tales, eos  
 nec uaferrimae celare quicquam so-  
 lent. Negligenter quippe apud illos  
 et loquuntur quidlibet, et faciunt.  
 Quare hoc conductet plurimum. Nam,  
 ut Parthi tantum fugiendo pares mi-  
 liti Romano erant, ita, qui simplici-  
 tatem, cum uidetur, induit, ac cuius-

H 5 que

que ingenium, in usum suum, penetrat aut tentat, calliditatem alienam, facile expugnat. Habeo amicum, uirum literatum, qui his artibus arca- na plurimorum penetrat, neque pa- rum liberaliter, pro fide ac candore suo singulari, multa eius generis nobis- cum, in congressu ac colloquiis, com- municat. Iures, ubi cum hominibus uersatur, silentii plane alti ac magna- rum cogitationum mortalem esse, aut in libris animum habere. Ille uero hoc agit, aduertit quae non cen- seas, ac, si quando, uel ex aula, uel e foro, ad se redit, quicquid alibi uel uidit, uel audiuit, chartis festiuissime committit, et dexteritate summa mo- res ineptorum, et, qui literas oderunt, callidissime depingit. De quibus po- steritas fortasse iudicabit. Non mi- noris enim est prudentiae, non ante tempus sua edere, quam optime scri- psisse. Est et aliud, fortasse non o- mnino contempnendum. Saepe ob- seruaui, nullam esse tam uersutam, quae affectus suos moderari possit. Quod centesimus uirorum quisque uix potest. Igitur, si paululum non nunquam aut irrites, aut ad iram pro- uoces,

voces, ruimusculum ex templo aut  
 alterius de te iudicium, impinget tibi.  
 Tantum vindictae amor potest. Ne-  
 que raro fit, ut, dum aliena sciscitan-  
 tur, sua non occultent. At uero, si  
 iam haeres, quod omnino indicio, et  
 nolles tamen, neque intelligere non  
 potes, quid expediat, uideri tamen ali-  
 is constantem, minus pudet, primum  
 erit, ut frigulculo paulatim eam ferias,  
 et amorem, quantum potest, non  
 abrumpas quidem, sed cunctando dis-  
 suas. Ita, suis peti artibus se, sentiet.  
 Et interdum sunt non nulla, hoc cur  
 fieri expediat, si nimirum, non omni-  
 no male cum amicis eius aut propin-  
 quis conuenire tibi, credis, praeclaris  
 saepe et eximiis hominibus, addo, et  
 tui studiosis, quibus aegre esse debet,  
 virum probum sic ludibrio exponi.  
 Sed, quis Deus inter tot iudicia uel o-  
 pem ferat tibi, uel reginae animum  
 emolliat? Nam, qui frigide aut nimi-  
 um remisse intercedunt, nihil promo-  
 uent, qui calide, ne illi quidem, fi-  
 dem enim non inueniunt. Et uero,  
 cuius interest, netu insanias? Aut quis  
 adducere eam potest, praeter animi  
 sententiam ut uiro nubat? Quod e-

go quidem nulli autor esse uelim. Debetur quoque haec tanquam merces pudicitiae, ut libenter id et sua sponte faciunt puellae, quod si imperetur, non uoluptas sit, sed poena, cuius partem semper maximam maritus fert. Adeo etiam hic difficile est,

*uenatum ducere inuitas canes.*

Interim tuus illis honor deferendus est, etiam, cum, agere aliud, intelligis, et iudicio puellae, sine eius ac suorum inuidia, omnia deterre. Id quod hodie non nemo facit. Ea enim ratione, ut quisque est simplicissimus, ita circumducitur facilime, et satisfieri patitur sibi, qui autem non est, dabittamen operam, ut uideatur. Quod si dignam tuis moribus, tuaque uita, es nactus, nunquam differendum est, quod agis, ne, dum tu in Pindarum, aut nescio quem alium scriptorem, commentarium moliris, alias in eam notas scribat. Stylo enim expedito hic est opus, et praesertim, si sit procax aut agilior. Neque raro euenit, ut, dum uos pugnatis tepide, a lius cuniculis rem gerat, et dolabra animalium expugnet. Quod fit, corpore

pore expugnato. Pudoris enim sui labem necessario puella sequitur, aut, si est honesta, anteuertit. Virtutes quoque minus mouent animum, commune contra dedecus et conscientia obstringunt. Vos uero fide optima ac moribus amatis, neque nimium audetis per lasciuiam, quae illecebra hoc tempore amoris est ac glutinum. Ita fit, ut, dum boni uiri estis, alias de ea, et de uobis pariter, triumphet. Quippe si, quemadmodum, in optimatum republica, eundem esse bonum uirum, bonumque ciuem, docet Aristoteles, in reliquis diversa, ut plurimum haec esse, ita, inquam, optimarum quoque puellarum aliqua respublica si esset, idem uir bonus, et amator bonus, esset. Nunc, corruptis moribus, Primieri noster, capiuntur optime, quae tales sunt, uiri autem boni et modesti locum dant prudentioribus, sicuti in palaestra eruditi fortibus. Non enim ibi, si poeta essem, et ualentem nactus essem aduersarium, quicquam efficeres. Idem tamen hic fieri, miraris. Et plerique estis tales, ut cum impetu agatis

tis omnia. Ideo non raro fit, ut acribus initiis, fine incurioso, infelici exitu, ametis, quod in multis obseruaui. Atque idcirco pridem in possessione repulsarum estis. Nam, ut ueteres omnittam, neque Claudiam Lotichius, neque Hyellam Flaminius, neque Cassandram exorauit Ronsardus. Illa autem,

*Vatis amatoris, Iulia, sculpi manu,  
relicto uate, amatore suo et sculptore,  
peregrino cuidam nupsit. Qui, poeta  
multum indignante, quod ex eius  
uersibus apparet, in illius gremio  
cantare merito, pro illo, potuit,*

*Centum basia centies,  
Centum basia millies,  
Mille basia millies,  
Et tot millia millies,  
Quot guttae Siculo mari,  
Quot sunt sidera coelo,  
Istis purpureis genis,  
Istis turgidulis labris,  
Ocellisque loquaculis,  
Figam continuo impetu,  
Magni, Iulia, nominis.  
Namque amans tuus excidit,  
Et sculpor tuus excidit,  
Excidique poeta.*

Miser

Miser autem basiator et suauissimus  
 poeta, cum instaret iam nox illa,  
 ctimis usum ille ac fructum sola cogi-  
 tatione delibarat, solem orat, uultum  
 ut abscondat, Iouem, fulmina ut  
 emittat, quasi nouum rebus inducen-  
 dum esset chaos, aut Titanes coe-  
 lum oppugnarent, aut deorum inter-  
 esset, a quo eius Iulia deuirginanda  
 esset. Qua de re et literas illius legi,  
 sed quae nondum formis sunt descri-  
 ptae. Quosdam tam abieクト noui ani-  
 mo, ut in eius animum, quam amant,  
 ferio inquirere non audeant, ne, si  
 subito desistant, ferre repulsam dicantur.  
 Nam hoc ignominiosum du-  
 cunt. Quasi id non regibus eueniatur  
 quotidie, aut quasi possint cogi, quae,  
 se exorari, nolint, aut haec tota res  
 non sato dispensetur potius, quam me-  
 ritis postremo, quasi de praetura, aut  
 de consulatu, hic agatur. Atqui Cato,  
 a uictore orbis populo repulsus, pila  
 dicitur lusisse, nec, Vatinio postposi-  
 tus, minorem se propterea existimauit.  
 Nos, contra, qui, si bona nostra  
 nouimus, et, partiuero, didicimus,  
 quod philosophia sola dare potest, si-  
 pra

pra regum omnium ac principum re-  
pulsas longe assurgimus, quasi non in  
foro, et in aula, plurimi reperiantur,  
qui augustam sapientiae ac eruditio-  
nis dignitatem, quia capere non pos-  
sunt, pertinaciter contemnunt, et au-  
toritate sua oppugnatum eunt, ad  
stolatum iudicem abimus. Itaque stul-  
tissimi mortalium, quanti aliqua, si  
diis placet, Eromonion nos esse, aut  
Lampadion, existimat, tanti esse, ipsi  
arbitramur. Cum praesertim sint et  
aliae, nec forma, neque dore, inferi-  
ores, quae et eruditioni multum, et  
parentibus deferre quiduis, ut honeste  
educatas decet, didicerunt. Quas qui  
tacite ambiat, modeste petat, conscio  
hemine, fauente quolibet, confessam  
rem habeat, neque temporis iacturam  
faciat, aut existimationis notam publi-  
ce incurrat. Sed plerunque nimis aut  
demissi, aut supplices, nos sumus. Hinc  
autem spiritus assumit iste sexus. Tum,  
quae placent nobis, sine modo extol-  
limus, quod et lubentissime admittunt.  
Idem quoque, quod Pygmalioni acci-  
disse, aiunt, accidit poetis. Nam, ut  
ille statuam ex ebore fecisse fertur,  
quam

quam mox deperire coepit, ita formam  
 saepe ipsi nobis fingimus, in  
 qua, ut primo ludimus, ita tandem  
 misere haeremus. Quicquid enim de-  
 est ei, de qua cogitamus, ex ingenio  
 supplemus, neque parum addimus,  
 quiduis autem excusat. Ut sit alia  
 propemodum in uersibus et mente  
 nostra, quam, quae aliis uidetur. Non  
 enim semper ueritatem exprimit aut  
 imitatur poeta, sicut recte obseruat  
 Plato, amator autem raro eam uidet.  
 Adde, quod, qui captus iam est, odit  
 eam semper, et nescire mauult etiam,  
 quae nouit. Vnum addam nunc, ac  
 desinam. Rationes uestras, optime  
 Primeri, uehementer admirari me so-  
 lere. Qui cum ea tractetis studia,  
 quae in rebus humanis quidem p[ro]ha-  
 sunt, a uulgo tamen aliena sunt, ideoq[ue]  
 contemnuntur, si quatamen est pu-  
 ella, uel in aula, uel in foro, moribus et  
 indole a uobis aliena, hanc ut pluri-  
 mum sectamini, neque minus, non  
 procedere, quae cogitatis, admirami-  
 ni. Id plerunque in uobis risi, ho-  
 no[rum] simplex, et qui nihil soleo dif-  
 simulare. Eas quoque urbes eligitis  
 non nunquam, quae curia instituto  
 uestro

uestro minime conueniunt. Ut, si  
tu Bruxellae, Amstelodami ego a-  
mem, cum in animo et mente patri-  
monium omne, omnes habeamus  
corias, hanc monetam autem ibi ne-  
mo norit. Eorum opes interim scul-  
titiam et sapientiae contemptum pa-  
tiuntur, virtus autem nostra et sci-  
entia laudantur quidem, sola autem il-  
la experuntur. Id memento quoque,  
qua sis tempestate natus, qua nimini-  
rum ad interitum, ad certam mor-  
tem, omnis properat humanitas, tan-  
cum, quia minus, quam debebat, ae-  
stimatur. Legimus, Virgilio non se-  
cuis, quam Augusto, uenienti, Roma-  
num populum assurrexisse, Augu-  
stu ab Horatio repulsam rulisse, quia  
Maecenatem praeferebat, Vespasia-  
num, iucundissimum Imperatorem,  
a Plinio uocari, principum filios, ae-  
tate patrum, humaniores docuisse  
literas, Laurentio Medici Politi-  
anum, Franciso primo alios, famili-  
ares fuisse. Quem et ad Robertum  
Stephanum subinde uisitasse, et, cum  
ei non uacaret, quod eorum que-  
rum edebantur, emendationibus in-

tentus esset, paullum expectare iussum. Neque parum refert, ubi uiuas, penes principem, an penes populum, sit summa rei. Plerunque quoque ingenia praecclara pluris fieri post obitum dicuntur. Sed tum serum est, uxorem ducere. Neque ego autor tibi sum propterea, ut moriaris. Habes nostram, optime uiorum, de poesi tua, habes de amoribus, sententiam. Quod si tua interim placere tibi pergit (non enim inuidere possum tibi) et ad hoc iudicium quotannis duo aureorum millia accedunt, per me licet, ut ex his non nulla praetermittas. Emi enim tales facilius, quam exorari, solent. Vale, ac scito, totum me in describenda noua republica nunc esse, in qua hoc cauebitur, ut quemadmodum nunc soli reges regum amant filias ac ducunt, ita poetarum ac philosophorum interessé liberi iungantur. Pudet enim uos, ab aliis non satis aestimari, tum, ut emptiones et uenditiones, non, quod nunc fit, auro et argento, sed poetica moneta, contrahantur, hoc est, uersibus. Quadringenta millia

I

qui

qui possidebit, eques erit, qui Romanum carmen, Graecum, et vernaculum, dexteritate pari scribet, imperabit, reliquis. Si quae sunt pueriae, quae poetis olim illuserunt, quas et ego odi pessime, eae in hac urbe mea, atque in hac republica, eunuchis nubent. Idem quoque ut illis post hanc uitam eueniat, Minos, Iouis dum uiueret, arcanis admotus, nunc autem inferorum praetor, Aeacus praeterea et Rhadamantus Gnoſſius, curabunt, qui, ut noſti, praefecturam suam atque imperium poetis debent. Quorum ad tribunal, ubi mortem commutauerint cum uita, Venus aut Cupido, foliis maluarum, usque ad necem, eos caedet, cum solenni formula, ad plagas singulas,

*Discite iustitiam, monitae, et non temnere  
uates.*

Riuales autem poetarum, quamdui uiuent, aere diruti, atque, ut in militia, discincti, sine fica ambulabunt, non, de qua Cornelia lex agit, sed, quantum tangit Iulia, ut inteligant, cum uiris sibi rem fuisse. Ergo uide etiam atque etiam, quid agas. Nam, si expecta-

re

re potes, donec omnia, ut oportet;  
 tibi erunt constituta, faxo, lepidam  
 puellam ex Anacreonte, aut Home-  
 ro, eligas, cui dotem dabit Penia  
 Platonis, aut Idea. Nullus enim ibi  
 usus erit nummi. Nunc autem, quan-  
 quam uena lenis, et tersissimus cha-  
 racter, in suauissimis uersiculis scri-  
 ptisque tuis omnibus elucet, est tamen  
 quidam, in scutatis uestri regis et  
 circumforaneo hoc auro, qui non  
 paullo plus potest. Haec res nobis  
 fraudi esse solet. Vnum opto, ne,  
 perpetuo iocari me, existimes, fidem  
 ut habeas, homini non quidem eru-  
 dito, sed, qui aliquem, ni fallor, usum  
 habet rerum atque experientiam.  
 Quod ne sero fatearis atque intelli-  
 gas, iterum atque iterum, suauissi-  
 me Primeri, caue. Vale, et Bello-  
 cherium, tuum iuxta, ac meum,  
 meis uerbis, saluta. Lugduni Batauo-  
 rum, C I D I C V I I, Cal. Iul. M<sup>r</sup> da-  
 & tissime et uenustissime Primeri.  
 iterum vale.

(o)  
ADD.

Ad. p. 16. Naudaeus de uita coelibe dixit  
*Jn ne hais pas la pensée de cette Vestale Romaine, laquelle eut voulu être mariée, et qui pensa mourir pour avoir trop ardemment prononcé ce Vers Latin de Seneque L. 6. Controv. 8, Felices nuptiae, moriar, nisi nubere dulce est.*

*Je ne pourrois pas me resoudre à me marier, ce marché eſt trop épineux et trop plein de difficulté pour un homme d'étude, J'aime mieux dire comme Horace,*

Melius nil coelibe vita.

Vid. Naudaeana, p. 120, sq.

---

CICERONIS  
CREDE RATEM VENTIS ANIMVM NE  
CREDE PVELLIS  
NAMQVE EST FEMINEA TVTIOR  
VNDA FIDE  
FEMINA NVLLA BONA EST ET SI BO  
NA CONTIGIT VLLA  
NESCIO QVO FATO RES MALA  
FACTA BONA EST

---

DIOG. LAERTIVS  
IN MENEDEMO  
MENEDEMVS INTERROGANTI VXOR NE  
SAPIENTI SIT DVCENDA SAPIENS NE TI  
BI INQVIT VIDEOR ET CVM ILLE  
AFFIRMASSET, EGOVERO DVXI





42<sup>5</sup>  
49




**ULB Halle**


3

007 234 325





B.I.G.



IRENAEI CARPENTERII  
ERUDITORVM  
**COELIBVM**  
SEMICENTVRIA NOVA  
—  
ACCEDIT  
DANIELIS HEINSII  
EPISTOLA  
AN ET QVALIS  
**VIRO LITERATO**  
DVCENDA SIT VXOR  
—  
VITTEMBERGAE SAXONVM  
APVD CHRIST. THEOPH. LDOVICVM  
A. C. CI CI CCXV